H. VII. 37.

Rh
o
980

P. BALDUINI WURZER
MONACHI CISTERCIENSIS IN ANTIQUISSIMO ET EXEMPTO ASCETERIO B. V. MARIAE
DE ALDERSPACH PROFESSI

PHILOSOPHIA REGULARIS

SIVE

SYSTEMA PROBLEMATICUM

DE

PHILOSOPHIA IN ASCETERIIS REGULARIBUS TRADENDA

CUI INSERTAE SUNT

POSITIONES EX UNIVERSA PHILOSOPHIA

QUAS
ALTEFATUS AUTHOR IN PUBLICA EXERCITATIONE DISCUTIENDAS
PROPOSUIT

C. P. S.

RATISPONAE, SUMPTIBUS JOANNIS LEOPOLDI MONTAG. 1769.

* * *

Multi quidem philoſophantur; at nulla habita ratione finis: aliter qui ad Iurisprudentiam civilem; aliter qui ad medicinæ ſcientiam; aliter qui ad Theologiam aſpirant, manuducuntur: Noſtrum fuit, Philoſophiæ Candidatum ſiſtere ad limina Theologiæ.

DAN. HUETIUS *in Præfat. de Concord. verit. nat. cum ſupernat.*

* * *

RELIGIOSO LECTORI ΦΙΛΟΣΟΦΩ.

S. P.

Magni profecto moliminis opus aggredior; cum præsens *Philosophiæ Regularis Systema Problematicum* tam illustri politissimarum literarum ætate publici iuris facere contendo. Non enim me latet; quid nominis, quid rei sit, esse Philosophum ad genium novaturientis huius seculi elaboratum: ubi pulso Peripateticorum veterno, excussoque Scholasticorum pulvere mentis humanæ acies plus ratione, plus experientia, quam authoritate Magistri, in cuius verba iurare aliquando san-

ctum habebatur, ſapere addidicit. Verum longe abſum, ut rudem hunc novitii ingenii partum oculis tot illuſtrium virorum ſubiiciam, qui non ſine magni nominis gloria e publicis cathedris Carteſii, Gaſſendi, Newtoni, Wolfii &c. placita numeroſis auditorum coetibus ſuggerere, & animo non niſi mathematicis diſciplinis prius exculto in intima veritatis, et naturæ adyta penetrare conſueverunt. Religioſos ſolum convenire mihi liceat Philoſophos, quibus intra domeſticos parietes ea delata eſt provincia; ut iuvenes ſuos confratres per familiare biennii ſpatium in ſtudio philoſophico exercitatos reddant. His itaque viris doctrina non minus, quam religionis zelo conſpicuis præſens problema diſcutiendum appono: *Qualis Philoſophia, quæve philoſophandi methodus tyroni religioſo expediat in ordine ad ſubſequens ſtudium ſeu theologicum, ſeu iuridicum?* Nemo enim ignorat: in clauſtris regularibus nulli datum eſſe in ſolo ſtudio philoſophico conquieſcere; ſed potius hoc perſoluto iuvenes Clerici iis applicantur illico diſciplinis, per quas ad augendam Eccleſiæ, ac S. ordinis utilitatem, & promovendam cum propriam, tum proximorum ſalutem expediti evadant. Anſam problematis huius ad manus dederat inſignis tractatus de ſtudiis monaſticis R. D. Joannis Mabillonii monachi Benedictini: cuius viri præclara in rem literariam merita immortalibus

faſtis

faſtis iamiam adſcripta nulla ætas, nulla invidia obliterabit. Superfluum mihi videtur, ea in præſentiarum retexere, quæ profundiſſimus ille cœnobita de cultu, perfectione, ac emendatione ſtudiorum monaſticorum copioſa non minus eruditione, quam diſcreta aſceſi ibidem differit. cum nullus dubitem; quin omnes didaſcali religioſi inſigne hoc volumen ſedulis dudum extriverint manibus. Eapropter illa ſolummodo ex hoc fonte depromere laboravi, quæ ad reſolutionem altefati problematis facere iudicaveram. An mentem celeberrimi huius viri vel a longe aſſecutus ſim? aliorum eſto iudicium: lubens me ferulæ cenſoriæ ſubmitto. Neque iniuriam mihi inferri autumo, ſiquis maleſartam forte levidenſis huius opuſculi œconomiam deſpexerit: dummodo benevolæ mentis conatum ſibi non diſplicere fateatur. In magnis etenim voluiſſe ſat eſt. Vale! et fave.

DISSERTATIO
HISTORICO-CRITICA
DE
NECESSITATE, UTILITATE, ET
QUALITATE STUDII PHILOSOPHICI
IN ATHENAEIS MONASTICIS.

Quemadmodum artes nunquam caruere oſoribus, ita nec diſciplinis philoſophicis defuit unquam quoddam infenſum genus hominum, qui odio pene vatiniano exagitati easdem ad ultimam usque Thulen exulare iuſſerunt. Hos inter in prima certe acie collocandi venirent Acataleptici, Pyrrhonici, Scepticique antiquiores una et noviores (*): qui, ſicut omnem veritatis inveniendi-

(*) Inter recentiores Scepticiſmi præprimis incuſantur D. Hieron. Hiernhaim Abbas Præmonſt. Dan. Huetius, et Lockius. Hos poſteriores tamen vindicat Anton. Genuen. in Diſſert. de Scepticiſmo.

veniendæ viam aut penitus conciſam, vel non niſi ſumme arduam eſſe ſomniabant; ſic omnem quoque in rerum naturæ Philoſophiam exſiſtere pernegantes, de rebus univerſis dubitandum eſſe ſatis frigide argutabantur. Verum vix amplius illos confutatione dignos eſſe autumo: cum quotidianus ſanæ rationis uſus, ſenſuumque palpabilis experientia maleferiatos hosce ſycophantas obmuteſcere iubeat, niſi vel pleno meridie cæcutire velint: prout lepide non minus, quam ſolide illis Poëta (*) apud Cl. Anton. Genuen. illudit. nempe

Nil unquam inſanius eſſe,
quam ſapiens Pyrrhonis de grege: fluctuat anceps
qui omnibus in rebus, quidquam nec repperit, in quo
ſit potis incertos animi ſedare tumultus;
eſſutiens quæcunque hic ſunt, ſenſusque laceſſunt,
aut animæ aſſenſum eliciunt: aut reiiciuntur
omnia, res prorſus veras non eſſe, ſed umbras,
queis, velut a ſpectro, timet usque illudier. an non
dignus et hic mane, et ſero cui verbera centum
per caput, et circa ſaliant latus? - - - - -
- - - - - - nam ratione carere
is ſe dum probat, et veri nihil eſſe, poteſtne
veri per ſe ipſum quid noſcere? ſi queat, ultro
vera dari fateatur oportet: ſi negat a ſe
dignoſci; et quinam verum ſuadere valebit
eſſe mihi id, quod ait?

At, dum pro aris et focis philoſophicis in clauſtris regularibus exſtruendis dimico, longe alii hoſtes expugnandi mihi obveniunt: illi nimirum ſolitarii plerumque ſeneciones, qui, neſcio, an pia ſimplicitate decepti, an zelo minus iuſto ſuffiammati erectas in cœnobiis

(*) Marchio Spiriti in epiſtola ad Franc. Danielem apud Anton. Genuen. T. I. Element. Met. ad calcem P.I.

exedras philoſophicas ſus deque vertere laborant, tanquam totidem lapides offenſionis diſciplinæ monaſticæ, morum corruptellas, doctrinæ aſceticæ exterminia, vanæ ambitionis aſyla, iurgiorum, ac æmulationum Seminaria. En crimen! quod brevibus gyaris, aut carcere dignum reputant. En cauſſam! quæ non paucos etiam literatorum Religioſorum animos in partem ſequiorem abripit. Neque exiſtimet quisquam, frivolas me fundere querelas, aut cum umbraticis non niſi adverſariis manus conſerere velle, quos ægræ mentis inſomnia cadmeæ adinſtar ſegetis parturivere. Nondum enim adeo immemoriali diſtamus intervallo ab illa temporum ſerie: cum ſolitarii quidam monachi excepta SS. codicum, PPumque lectione, ac meditatione non modo Philoſophiam, ſed et omnes literas humaniores in cœtibus religioſis ex integro ſuffocare ſtatuerunt: cuius perduellionis vel hodiedum hinc inde complices offendimus.

Claſſicum fere primus occinuit in Gallia Reverendiſſimus Abbas Trappenſis (*): qui evoluto Tractatu de ſtudiis monaſticis, quem circa annum 1691. famigeratiſſimus D. Joannes Mabillon Benedictinus e Congregatione S. Mauri idiomate gallico, maximo cum applauſu divulgaverat; neſcio, queis conſcientiæ ſtimulis impulſus ſuſceptum recens de promovendis ſtudiis monaſticis negotium, *rem plenam periculi*, et *vulnus toti ordini monaſtico inflictum* compellare attentavit. Hinc, ut impendenti exinde monachorum ruinæ paterne quidem providus, at plus iuſto ſolicitus conſuleret; lauda-

(*) Rev. ac illuſt. D. Armandus Buthillier de Rancè. Vir in ſeculo præclaris ad Philologiam præſertim græcam pertinentibus ingenii monumentis editis a prima adoleſcentia notus. notior adhuc a promota reformatione Trappenſi. ut pluribus in eius vita refert P. Pet. le Nain.

laudato Tractatui Responsiones suas publica itidem luce donatas opponere aggressus est: in quibus nimio fortasse zeli ardore consumtus palam asserere haud dubitavit. *Scientias monachis prorsus nocere, illorum corda peruertere, eos lethaliter afficere, atque illud pietatis, simplicitatis, et puritatis fundamentum diruere, cui adhæret iliorum sanctificatio. Regulam, regularitatem, constitutiones, disciplinam, atque ædificationem ibi excidisse, ubi constituta sunt studia, spiritum orationis scientia aboleri, et humilitatem labefactari. Principatus, et Principes occasione studiorum iis fraudari adminiculis, quæ olim apud solitarios sibi comparabant; populos vero destitui exemplo, atque ædificatione, quæ in universam redundabat Ecclesiam* (*).

Nemo sane in actis literariis elapsi primum seculi adeo peregrinus erit, ut ignoret; quantas turbas Abbatis Trappensis Responsiones inter monachos Benedictinos, et Cistercienses concitarint. Neque enim diu intra septa solitaria hæc litigia delituere: quin imo in apricum tandem devoluta non Eruditorum modo, sed et Illustrium animos in unius, aut alterius partis patrocinia rapuere; ut de restituenda inter religiosos hosce dissidentes concordia pene conclamatum esse videretur. quemadmodum prolixe quidem, sed satis fideliter D. Vincentius Thuillier in Historia dissidii huius literarii (**) meminit.

Verum nunquam ego animum eo appuli, ut novam studiorum monasticorum apologiam ordiar contra adversarium sicut prosapia, ita et eruditione ac pietate illu-

(*) Ipsissima verba D. Abbatis Trap. apud Mabillon: in proloq. Animadvers. in Resp.

(**) Exstat hæc Historia in pede dictarum animadversionum Mabillonii, edit. Venet. de anno 1745.

illuſtrem. Longe felicius enim conatibus meis prælufit laudatus ſæpe Joan. Mabillonius, cum in ipſo tractatu de iisdem ſtudiis, tum in Animadverſionibus, quas Reſponſioni Abbatis Trappenſis ſolida ſimul doctrina, et mira prorſus animi moderatione oppoſuit. Profecto graviſſimis rationum momentis ibidem commonſtratum deprehendimus: proficuam œconomiam, quæ in monachorum ſodalitiis ab initio ſtabilita fuit, vix ſubſiſtere poſſe absque ſtudiorum ſubſidio. neque ſine ſcientiarum adminiculo eas obtineri dotes, quæ tum monachis ad ſtatum clericalem, tum monachorum Præpoſitis ad perfectum regimen ſubeundum neceſſariæ cenſentur. imo non ultimam ruinæ ſtatus monaſtici cauſſam exſtitiſſe defectum ſtudiorum, et amoris literarum. Atque ut Cl. Author maiorem aſſerto ſuo fidem conciliaret, prolixo huic rationum apparatui longævam monachorum tum in oriente, tum in occidente traditionem ſubiungit, qua aperte docet: omnis generis ſtudia in aſceteriis non ſolum continua praxi priſcis patribus indulta, ſed et iugi induſtria exculta fuiſſe; neque tantum inter monachos Benedictinos, aliasque S. familias, ſed inter ipſos etiam Ciſtercienſes: prout luculenter apparet ex tot tanquisque lucubrationibus præſtantiſſimorum virorum, quæ vel publica iamiam luce fruuntur, aut in domeſticis Chartophylaciis digna adhuc veneratione aſſervantur (*). Ipſus ego ad receptam hodie in omnibus familiis regularibus, et plus quam centenaria præſcriptione firmatam aſſuetudinem provoco. Ipſus ad ſaluberrimas cuiusvis S. ordinis conſtitutiones appello, in quibus nunquam non ſtudiis monaſticis ſumma ſolicitudine proviſum

(*) Videatur R. D. Caroli de Viſch Bibliotheca Scriptorum S. Ord. Ciſterc. Utinam aſſurgeret de gremio Ciſtercienſi Vir, qui inchoatam ſemel altefati authoris provinciam ad noſtra usque deduceret tempora.

ſum eſſe legimus (*). Præſertim, cum ſinguli fere cœtus religioſi non unice eum in finem congregati ſunt; ut ſolitariæ proprii Spiritus tranquillitati inſudent: ſed inſuper, et vel maxime in hodierna providentia, ut bonum Eccleſiæ, proximique utilitatem omnimodis promoveant; quod utique ſine iugi ſtudiorum exercitatione nequaquam fieri poſſe, exploratum habemus. ut adeo tam ſevera, tam tetrica D. Abbatis Trappenſis opinio (quod mihi fas ſit loqui inviolata tanti Viri memoria, et reverentia) ad meram ſpeculationem referenda videatur, quam nec ipſe quidem ad praxin deducere dignatus eſt: ſed ſolum monachos iuxta ideam perfecti ſolitarii per eam inſtituere adlaboravit (**); quod tamen a genio præſentis ætatis toto quaſi cœlo alienum eſſe, vel obvius noverit.

Id itaque ad præſens munus meum pertinere exiſtimo: ut ſtudii præſertim philoſophici neceſſitatem, una et utilitatem in ſodalitiis regularibus pari rationum pondere commonſtrem. Quamvis enim ad unum pene omnes in præſenti rerum providentia decretoriæ Mabillonii ſententiæ mecum adſtipulentur: non nulli tamen conſilio, et deſiderio Cl. huius Authoris ſatisfieri arbi-

tran-

(*) Ita providit capitulum nationale Ord. Ciſt. ſup. Germ. an. 1654. Rothvvillæ celebratum diſt. 6. c. 1. de diſtributione temporis ſect. I. et II. longe vere clarius capitulum Nationale anno 1733. Cæſareæ coactum, ubi Diſtinct. 12. n. 2. et infra in extractu litterarum III. P. Gen. n. item 2. concluſum eſt, ut in Congregationis Monaſteriis alieni ſcientiarum Profeſſores ad docendum non admittantur: ſed duntaxat S. Ordinis noſtri Profeſſi. n. 4. autem eiusdem diſt. cuilibet D. D. Abbatum liberum relinquitur, ut pro ſuis, vel in ſuo monaſterio ſtudium inſtituat, vel Ingolſtadium, aut alio eos ire iubeat.

(**) Ita cenſet author Hiſtoriæ diſſidii literarii ſuperius iamiam laudatus.

trantur, ſi miſſis philoſophorum ſcitis, velut ſterilibus verborum tricis, nugisque mechanicis (ut erudite quaſi calumniantur) dociles religioſorum animi ſobriæ theologiæ, iurisprudentiæ canonicæ, ac hiſtoriæ eccleſiaſticæ ſtudio occupentur. Qua in parte nec ego ab illis discedo, attamen rotunde pernego: ſcientiis hiſce utiliter, et pro dignitate animum adiici, niſi quis prævie diſciplinis philoſophicis initiatus fuerit.

Neceſſitas autem ſcientiæ huius in ordine ad capeſſendas altiores literarum facultates ex ipſiſſima eiusdem natura relucere videtur. Neminem enim fugit: Philoſophiam recepta fere ubivis terrarum definitione apellitari *ſcientiam rerum divinarum, et humanarum, cauſſarumque, cur eiusmodi res ita ſe habeant, fiant, ac fieri queant*. Ex quibus verbis ſane perſpicuum redditur: eo ipſo Philoſophiam ad omne genus ſcientiarum tutiſſimam ſternere ſemitam; eo quod univerſa earum obiecta, quantumlibet inter ſe diverſa ſint, ex integro diſcutiat. Ob hanc ipſam vero obiectorum varietatem in diverſas quoque partes Philoſophia cepit diſtribui, in *Logicam* videlicet, *Metaphyſicam*, *Phyſicam*, et *Ethicam* (*). In ſingulis tamen hiſce partibus aut ſolo rationis naturalis lumine, aut iuſto ſenſuum criterio, vel utroque ſimul tam multiplicia ſcientiarum obiecta attingi neceſſe eſt: ut adeo Philoſophia nunc *Rationalis*, nunc *Experimentalis* ſalutari mereatur. Iam videamus, qua utilitate, et neceſſitudine Religioſi in enumeratis Philoſophiæ partibus occupentur.

DE

(*) His moderni Philoſophi addere ſolent *Matheſin*. an merito? et qua ratione? infra pluribus diſcutiemus.

DE LOGICA.

Principem facile in Philoſophia rationali locum ſibi vendicat *Logica* ſeu *Dialectica*, ſive *ars cogitandi*, *et diſſerendi*, de cuius munere pendet; ut rationem, iudiciumque in ſapientiæ ſtudio regat, formet, & augeat: mentem humanam adinveſtigandam, cognoſcendamque veritatem dirigat, variisque præceptis ita imbuat, ut ad omnes reliquas ſcientias facilius, feliciusque addiſcendas expedita reddatur. Iure enim quaſi hæreditario a Maioribus transmiſſum accepimus quoddam veritatis ſtudium, incenſumque omnia ſciendi, ac penetrandi conatum. Hinc intime nobis conſcii ſumus: ingenitam mentibus humanis facultatem cognoſcitivam iugi indies meditatione & cogitatione exerceri. verum manca ut plurimum, et imperfecta hæc facultas hæret, niſi aliunde excolatur, et perficiatur; quemadmodum et omnes alias facultates naturales perfici oportet. iuvatur autem, et perficitur ſubſidiis Logicæ, ſeu dialecticæ; utpote, quæ iuxta ſtatas leges, ac regulas nos ita facultate cognoſcitiva frui edocet, ut citra erroris periculum ad veritatem penetremus, talique uti ſermone, qui ad communicandam cum aliis veritatem aptiſſimus cenſetur. Huius ſcientiæ neceſſitatem dudum perſpectam habuit Præſtes Hipponenſis, cum adverſus Academicos (*) eiusdem excellentiam his verbis deprædicat: *Hæc docet docere, hæc docet diſcere, in hac ſe ipſam ratis demonſtrat, atque aperit, quæ ſit, quid valeat: ſcit ſcire, ſola ſcientes facere non ſolum vult, ſed etiam poteſt.* Porro eamdem ob rationem Philoſophorum Princeps jam olim Dialecticam velut *Organum ſcientiarum* ſummis extulit encomiis: quoniam ſicut harmonici concentus anima eſt organum, ut illo obmuteſcente aut omnino emoriatur

(*) l. 2. c. 13.

riatur reliqua fidium, vocumque gratia, vel aures offendat melos abſonum,

ut græcas inter menſas ſymphonia diſcors:

ſic ſublata Logica, velut unico veritatis organo reliquus ſcientiarum chorus aut turpiter conticeſcet, aut inglorie balbutiet. *Ars* igitur *quædam neceſſaria eſt, quæ ſit directiva ipſius actus rationis, per quam ſcilicet homo in ipſo actu rationis ordinate, faciliter, et ſine errore procedat, et hæc eſt ars Logica* (*).

Præprimis autem Dialecticæ, ſeu Logicæ notitia SS. Theologiæ, ac iurisprudentiæ ſtudio rite comparando inſervit. *Diſputationis* namque *diſciplina* (quam utique ad Dialecticam referri nemo ambigit) *ad omnia genera quæſtionum, quæ in literis ſacris ſunt penetranda, et diſſolvenda, plurimum valet* (**). Imo *quidquid perverſorum dogmatum eſt, et putatur eſſe robuſtum in terrena ſapientia, hac arte dialectica ſubvertitur* (***). Eapropter videmus, Theologos ad unum fere omnes non minus ad eventilandas ſcholarum argutias, quarum uſus prioribus ſeculis frequentiſſimus erat; ſed inſuper ad roboranda fidei dogmata methodum non niſi legibus dialecticis conformem adhibuiſſe: cui excolendæ, ac conſolidandæ cumprimis patrocinatur artificium ſyllogiſticum, ipſis etiamnum ſectariis formidabile (****). Neque etiam Eruditio hiſtorica, ſeu ſacram, ſeu profanam

(*) D. Thom. l. 1. Poſter. lect. 1.

(**) D. Auguſtin. l. 2. de Doct. Chriſt.

(***) S. Hieron. Præfat. in Ezechielem.

(****) Hinc infelix prætenſæ reformationis anteſignanus Mart. Lutherus in epiſtola ad Jodoc. Iſen. data ita monet. *foris relinquendus eſt omnis ſyllogiſmus* (ſi nimirum Religionis negotium agitur) *non aliter, ac Abraham ſacrificaturus reliquit pueros cum aſinis.*

nam ſpectes, Logicæ adminiculis deſtituitur: etenim ſobrias non minus, quam ſolidas *artis criticæ*, *ac hermeneuticæ* regulas pro deſtinanda veri, aut falſi teſſera Logica ſubminiſtrat (*); ne prona mentis humanæ levitas vel nimia credulitate, vel inſana pertinacia in avia, et devia ignorantiæ præceps eat. Dialecticam vero iurisprudentiæ inſuper ſuppetias ferre ipſimet fatentur viri clariſſimi, quos in utriusque Themidis foro præcellentis doctrinæ fama conſpicuos veneramur; qui profecto miſeratione potius, quam refutatione illos cenſent dignos, qui neglectis philoſophorum ſcholis, ac ſpretis artium adminiculis ad Iureconſultorum facultatum pulpita ſeſe convertunt. Cum tamen ipſæ *leges nunquam velocius percipiuntur*, *ſolidius intelliguntur*, *peritius tractantur*, *melius habentur*, *quam cum in Philoſophos inciderint* (**).

DE METAPHYSICA.

Alteram rationalis Philoſophiæ partem conſtituit *Metaphyſica*, quo nomine non quidem doctrina μετα τα φυσικα, ſeu *poſt phyſica* pertractanda, ſed ſcientia *ſuper phyſica* indigitatur; quæ res a materiæ commercio abſtractas, corporeaque mole ſolutas contemplatur. Cum vero res aut ſola intellectus operatione, aut ex ipſa naturæ conditione abſtrahi concipiantur: eapropter præſens diſciplina diſtribui ſolet in

 Onto-

(*) De regulis artis criticæ conſuli profecto meretur l. 3. 4. & 5. Artis logico-criticæ Cl. Ant. Genuen.

(**) Ita ſæpius ad ſuos dixiſſe fertur D. Arnoldus Rath, per novem luſtra in alma Anglipolitana iurium Profeſſor celeberrimus: prout conteſtatur Cl. P. Theophil. Frähamer in ſtimulis &c.

Ontoſophiam, *Ætiologiam*, et *Pnevmatologiam* (*). Prior omnium fere noſtrarum cognitionum principia, ac bases reſpicit: eoquod in conſiderandis primis rerum ideis, *Entis* nimirum, *ſubſtantiæ*, *accidentis* &c. harumque affectionibus generalibus occupatur. Altera earum rerum cauſſas, ac exſiſtentiæ origines perrimatur. Tertia tandem de iisdem entibus in ſpecie diſſerit: nempe de ſpiritibus, quos ex ipſa natura a materiæ commercio ſeparatos eſſe ſcimus. Et quidem poſterioris huius metaphyſicæ partis notitiam præprimis cuilibet Religioſo neceſſariam eſſe ipſa obiectorum præſtantia commendat. DEI etenim, Angelicorum Spirituum, Mentisque humanæ naturam (quantum lumine naturali vacat) Pnevmatologia perſcrutatur; invictoque rationum robore in Atheos, Polytheos, Pantheiſtas, Deiſtas, Spinoziſtas, Materialiſtas, Libertinos, ſimilesque huius furfuris blatterones invehitur, quos non niſi rationis naturalis dictamine, ac illuſtratione redargui oportet, cui utique ſpreta, vel potius everſa ſanctiori revelatione, eluſisque Religionis cuiusque momentis thraſonice non minus, quam malitioſe innituntur.

Triſti profecto experientia docemur: ob defectum ſobriæ pnevmatologiæ tot immania *fortium Spirituum* (ut vocari amant) emerſiſſe monſtra, quæ ruptis pietatis compagibus non ſolum ad omnem vitæ licentiam absque rubore ſubeundam ianuas, poſtesque aperuere; ſed etiam in decretoriam humani generis perniciem coniuraſſe videntur. Quid etenim boni ſperandum ſupereſſet ab hiſce luxuriantis ingenii thraſonibus, qui DEI tanquam ſupremi entis exſiſtentiam, aut

(*) His non pauci annumerant *Coſmologiam*, ſeu, doctrinam de mundo metaphyſice conſiderato: ubinam vero ea nobis collocanda videtur, inferius patebit.

aut exſiſtentis providentiam, ac veracitatem ſugillare conantur? qui mentem humanam claſſe ſpirituum extorrem ſucciſa præmii æviterni ſpe, aut pœnæ æternum duraturæ horrore pulſo immortalitate attentant ſpoliare? quaſi vero hominum, et iumentorum unus foret interitus, et æqua utriusque conditio? Expalleſceret haud dubie, velut viſa gorgone ad præſentem rerum faciem Abbas Trappenſis; ſi tam ſereno (ſi ſuperis placet) literarum ævo SS. codicum textus, PPumque effata, in quorum tamen lectione, et meditatione Monachorum ſtudia ſita eſſe contendit; vel penitus eludi, vel auſu profano in avia, et devia pro cuiusvis placito detorqueri redivivus conſpiceret. Concludendum itaque reor cum Cl. Ant. Genuen. (*) Metaphyſicam omnino neceſſariam eſſe; utpote cui reliquæ ſcientiarum diſciplinæ famulantur, ſuaque principia ab illa mutua accipiunt. Quod tum in omnibus ſcientiis verum experitur, tum veriſſimum in iuris naturæ, et Theologiæ ſtudiis: ita, ut riſui pateant, qui animo nondum metaphyſicis ex culto iurisprudentiæ naturalis, et rerum divinarum ſcientiam affectant.

DE PHYSICA.

A Metaphyſica tandem ordine paſſim recepto digredimur ad *Phyſicam*, ſeu *ſcientiam rerum naturalium*, *præprimis corporearum*: eoquod princeps illius obiectum ſit corpus naturale, qua naturale; cuius originem, eſſentiam, affectiones, vires, variosque ſtatus modo in genere, modo in ſpecie contemplatur. dubium certe vix ſupereſt; diſciplinam hanc argumenti dignitate celebratiſſimam, varietate rerum iucundiſſimam, et fœcunditate ſua utiliſſimam eſſe. Sane mundus hodiernus novam, quam præſefert, faciem Phy-

 ſicæ

(*) T. I. in Prolegom. ad Elem. Metaph.

ficæ debet; cuius ope innumera naturæ, ac artis phænomena in lucem protracta ſcimus, quæ alias profundiſſimis ignorantiæ tenebris obvoluta ad hunc usque diem delituiſſent. Neque tamen meris uſibus profanis, aut explendis ſolum curioſitatis humanæ deſideriis Phyſica præſto eſt: quin imo per eam in mentibus noſtris excitatur altiſſima DEI Cognitio; cuius utique patentiſſima ſimul, et occultiſſima providentia, ac omnipotentia in minimis æque, ac maximis ſeſe admirationi noſtræ quaqua verſum obiicit. Finis namque ſinceræ phyſicæ eſt: ut DEum creatorem, quem ex creaturis evidenter cognoſcimus, inſuper glorificemus, et ita rerum naturalium cognitioni ſtudeamus, ut promicantem ex ſingulis divini opificis præſentiam veneremur, potentiam admiremur, ſapientiam adoremus, bonitatem deamemus.

Quis itaque inficias ibit, monachos diſciplinis phyſicis utilem prorſus locare operam, quæ utpote ad tam prudentem finem diriguntur? id quidem non abnuo: neque nexum, neque neceſſitatem illarum ad iurisprudentiæ, aut Theologiæ facultatem tantam eſſe, quantam in Dialectica, ac Metaphyſica deprehendimus. interim tamen turpis profecto vel maxime in hodierna providentia cenſendus eſſet in Religioſo illius ſcientiæ defectus, cuius pertractatio antiqua iam civitate gaudet, ac obiecta illius quotidiana utique, et obvia eſſe videmus. Porro cavendum eſſe conſulo: ne iuvenes religioſi, dum nimium ſcitis phyſicis delectantur, evaneſcant in cogitationibus ſuis, et ambulent in mirabilibus ſuper ſe; ſicque immatura curioſitate dementati mentis aciem ad aliud viri-
le eruditionis genus capeſſendum hebetem, ingeniumque vagum reddant. quod tamen ſalvo meliori cuiusque iudicio dictum volo.

DE

DE ETHICA.

Integrum denique totius Philoſophiæ apparatum concludit *Ethica*, ſeu *Philoſophia moralis* dirigens actiones humanas ad veram beatitatem, velut ultimum vitæ noſtræ finem. Ordine licet poſtrema ſit iſthæc Philoſophiæ pars, ceteras tamen omnes utilitate, et excellentia altius antecedit. In huius ſcientiæ gratiam ſtudium omne ſuſcipi oportet, inque eam deſinere. Quid enim emolumenti ex integra philoſophia caperemus, ſi rerum extra nos poſitarum ſcientia poleamus, ea tamen, quæ officii noſtri ſunt, et ſine quibus viros probos eſſe non datur, negligamus, aut penitus ignoremus? Dolendum profecto! quod ſatis multi artium liberalium Magiſtri, quibus tradendæ philoſophiæ munus demandatum eſt, in unica intellectus humani cultura conquieſcant, de voluntate parum ſoliciti: cuius tamen vel maxime intereſt, ut inter bonum, et malum eligat; ut verum bonum a ſpurio diſcernere diſcat. etenim

Omnibus in terris, quæ ſunt a gadibus usque
auroram, et gangem pauci dignoſcere poſſunt
vera bona (*).

præſertim, cum interdum fallit vitium ſpecie virtutis, et umbra, et plerumque nitimur in vetitum, cupimusque negata.

Promtiſſimam vero voluntati operam in tali negotio Ethica exhibet; utpote quæ de actibus humanis, eorumque principiis ſive internis, ſive externis, de conſcientia, de variis animi paſſionibus, earumque cauſſis, ac effectibus, de pravis, rectisque habitibus, de vitiis, ac virtutibus, de legibus in genere, ac præ-

 primis

(*) Juvenal. Sat. X.

primis de lege naturali (*), de universalibus principiis, ex quibus quoad maximam partem prudentia dependet, moresque ad honestatem componuntur, solide non minus, ac eleganter differit. Tam nobilem certe argumentorum farraginem quisquis curatius pensitaverit, de utilitate profecto, necessitate, ac præstantia Ethicæ dubius esse vix poterit, et maxime in asceteriis regularibus; in quibus utique longe perfectius honestatis studium, ac potior vitæ morigeræ ratio attendenda est. Eam ob caussam Cl. Mabillonius (**) vel maxime ad rem facere iudicat: si insuper Philosophiæ morali adiiciantur quædam regulæ ad vitam socialem conducentes, per quas Religiosi honestatem, modestiam, alternamque urbanitatem colere discant, frivolas suspiciones eliminent, temeraria iudicia evitent, odia restinguant, et opportuniora quæquæ media ad pacem, fraternamque charitatem fovendam adhibeant.

Reponent forte non nulli: hæc, et similia abunde colligi posse ex libris asceticis, et vel maxime per decursum annui tyrocinii, ubi alias Viri timorati, ac discreti, qui novitiarum plantationum curam gerunt, iuvenes animos ad consuetum in qualibet familia regulari vivendi genus manuducunt. Novi illud perbene: at cum eiusmodi instructio methodo ut plurimum ascetica, ac theodidactica institui, sed nec tunc quidem ob temporis angustias pro dignitate pertractari soleat: minime alienum videtur, si congeniti luminis ductum insecuti naturali quoque ratione doceamur, ad quænam officia erga DEum, erga proximum, ac nosmet ipsos obstricti simus. Præcipue autem illi ipsi morum, ac vitæ

(*) De hoc argumento iure prorsus denuo legi meretur laudatus sæpe Anton. Genuen. T. 4. Element. Metaph.

(**) Tract. de stud. Monast. C. IX. n. III.

vitæ religioſæ magiſtri Ethica opitulante clientum ſuorum genios, propenſiones, paſſiones, paſſionumque radices penitius inſpicere, et congruam adverſus animi languores medelam propinare valent. Quodque procul dubio maiori fructu, ac emolumento præſtabunt; ſi prius ſeſe ipſos iuxta ſobrias moralis philoſophiæ leges agnoſcere, ac in officio continere didicerint; ne, dum aliis monſtraverint viam, ſibi ſemitas ignorent. Prima quippe, et inter antiquos dudum declamata morum regula eſt: Γνωθι Σεαυτον. *Noſce te ipſum.* neque inconſulto poëta (*) olim monuiſſe legitur.

\- - - - - - *Te ipſum*
Concute, num qua ſibi vitiorum inſeverit olim
natura, aut etiam conſuetudo mala.

Has igitur ſcientias diſciplinæ philoſophicæ complectuntur; quarum utilitas, neceſſitudo, ac nexus non minus cum theoſophia et iurisprudentia, quam alio quocunque eruditionis genere vel obvie contuenti luculenter ſatis apparet. Audiendus proinde non eſt D. Abbas Trappenſis (**), cum omne ſtudium philoſophicum in clauſtris ſolitariorum inutile eſſe, et magnæ illorum depravationi occaſionem præbere contendit. Exiſtimat equidem illuſtris hic ſolitariæ vitæ zelotes: Religioſum nullatenus egere ſcitis philoſophicis ad efformandum ſobrium ratiocinium, aut deſtinandam veri, falſique teſſeram; ſi aliunde author naturæ accuratum, ac rectum ingenium, ſerenamque contulit rationem (***). quaſi vero has ipſas naturæ dotes magis, magisque perfici neceſſum haud eſſet? ne turpi otio emarceſcen-

(*) Horat. l. 1. Sat. 3.

(**) Verba D. Abbatis refert Cl. Mabillonius in Animadverſ. ad Reſponſ. Art. XVI. n. II.

(***) In Reſponſ. ad Tract. de ſtud. Monaſt. C. IX.

tes ad consequendum finem ab authore naturæ prostabilitum non sine culpabili cum sacræ, tum profanæ reipublicæ detrimento inertes evadant. Nonne in simili providentia hodierni Politici iustas prorsus querelas effunderent, qui indies tot, et tanta naturæ dona *statui* (ut aiunt) erepta monasticas intra solitudines scpeliri criminantur? Nonne dolendum, si

\- - - *ingenium ingens*

inculto latet hoc sub corpore (*)

monachum induto, quod aptis alias excultum literis et sibi, et aliis prodesse valeret? rei huius indignitatem dudum persentiscens S. Mater Ecclesia per effatum concilii Viennensis (**) sanciit: ut in quolibet Monasterio Solitariis tradantur *scientiæ primitivæ.* quarum nomine Benedictus XII. *Grammaticam*, et *Philosophiam* intelligi asserit; nimirum, ne monachis proficiendi in scientia via desit.

Frustra insuper confugit D. Abbas ad illa Apostoli verba: (***) *Videte nequis vos decipiat per philosophiam, et inanem fallaciam secundum traditionem hominum, secundum Elementa mundi &c.* etenim nemo non videt Apostolum

(*) Horat. l. I. Sat. 3.

(**) Apud Mabillon in animadvers. ad Responsionem Abb. Trap. art. X. fatetur præterea D. Abbas August. Calmet in Præfat. ad Comment. Litteral. in Reg. S. Benedicti n. XXXVI. Nihil conciliis, et summis Pontificibus, imo et Principibus magis curæ fuisse: quam ut literarum studia in claustris florerent, et omni conatu excolerentur. cum hac ratione exulat a claustris otiositas, et Ecclesia afflictis seu persecutionis, seu ignorantiæ temporibus adversus hæreticos, et fidelium hostes a Monachorum doctrina, et eruditione præcipua accepit auxilia.

(***) Ad Coloss. 2. v. 8.

lum in his verbis ſolum inſurgere adverſus Sophiſtas, alios-que Logodædalos, qui ex abuſu dialecticæ meris fallaciis fidelium mentes circumvenire laborarunt; aut fanaticos illos genethliacos, aſtrologos, geomantas, hydromantas, pyromantas &c. qui caſuum, eventuumque naturalium ſcaturigines ab Elementorum temperie, fatalique aſtrorum influxu repetebant; quaſi vero omnis in aſpectabili hoc univerſo providentia, ac ordo nil aliud eſſet, quam

Sydus, et occulti miranda potentia fati (*).

Hoc ipſum vero Philoſophaſtrorum vulgus manibus, pedibusque fugiendum eſſe etiam hodie ſanior hominum pars omnimodis perſuadet. Ea tamen de cauſſa, quod non nulli diſciplinis philoſophicis turpiter abuſi fuerint; nullus profecto diiudicabit: ſobriam quoque earum uſurpationem penitus prohiberi. quemadmodum (vel ipſo D. Abbate iudice) nemo SS. ſcripturarum lectione, ac uſu interdicitur; eoquod antiqui non minus, ac noviores hæretici deliriorum ſuorum patrocinia ex iisdem S. codicibus poſtulaverint. *alioquin pro Patria miles armandus non erit, quia contra patriam non nulli arma ſumſerunt* (**). tollatur ergo abuſus Philoſophiæ, & ſervetur bonus uſus. quo ſervato, inſignia prorſus emolumenta nullo non tempore in cœtus regulares non minus, ac in omne genus humanum ex Philoſophia promanare fatebimur; ut adeo non immerito cum Tullio (***) exclamare liceat: *O vitæ Philoſophia dux! o virtutis indagatrix, expultrixque vitiorum! quid non modo nos, ſed omnino vita hominum ſine Te eſſe potuiſſet? Tu urbes peperiſti. Tu diſſipatos homines in ſocietatem vitæ convocaſti - - - - Tu literarum, et vocum communione iunxiſti. Tu inventrix legum, Tu Magiſtra morum, et diſciplinæ fuiſti.*

 Verum

(*) Juvenal. Sat. 7.
(**) S. Auguſtin. l. I. contra Creſcon. c. 2.
(***) l. 5. q. q. Tuſcul.

Verum altior modo difficultas illuſtranda venit: quænam videlicet illa ſit Philoſophia, cuius uſus religioſis Clericis ad ſubeundum SS. Theologiæ qua dogmaticæ, qua moralis, ac utriusque iurisprudentiæ ſtudium neceſſarius, et proficuus videatur? dixi ſtudioſe: *quænam Philoſophia.* Nam etſi ſcientia hæc naturalis in ſe ſimpliciſſima ſit, ac latiſſime pateat; pro varia tamen ratione, qua a præſtantiſſimis viris nullo non tempore exculta, ſtatisque legibus velut in corpus quoddam congeſta eſt, ipſa quoque in multiplices *ſectas*, ſeu ſcholas dividi, diverſasque cepit appellitationes nanciſci. Sic percelebris olim iactabatur in ipſis prope cultioris Philoſophiæ incunabulis ſecta dogmatica ſub Thalete Mileſio, et Pythagora per Ioniam, Italiamque diffuſa, Secta Academica ſub Socrate, et Platone, Peripatetica ſub Ariſtotele, Cynica ſub Antiſthene, Cyrenaica ſub Ariſtippo, Megarica ſub Euclide, Eliaca, Stoica, Epicurea &c. pluresque aliæ, quarum numerum vix inire licet. At operæ pretium nullatenus me facere exiſtimo; ſi deſcribendis talismodi ſectis, earumque anceps fortunæ prolixius immorer, quarum vix obſoleta nomina (niſi Peripatum excipias) hodie in faſtis literariis civitate fruuntur. Magis ad præſens inſtitutum facere mihi viſum eſt; ſi ad noſtra ſolum accedamus tempora, ſolicite perquirentes: quisnam hodie frequentior Philoſophiæ cultus obtineat? Et ſane, vix alia philoſophandi ratio inquirentibus occurrit niſi *vetus*, et *nova*, ſeu (ut dialecto vernacula loqui aſſuevimus) die alte, und neue Philoſophie. Ad priorem refertur Peripatus in *ſectam Scholaſticam* transfuſus: poſteriori annumerantur Recentiores, Neotericique omnes, qui *ſectæ Eclecticæ* nomen dedere. Expedit profecto, ut utriusque factionis philoſophicæ geneſin, ac momenta curatius expendamus: forſitan facta tali rerum indagine multa offendemus, quæ ad præſens ſyſtema problematicum pertinere videntur.

De

DE PHILOSOPHIA SCHOLASTICA.

Philoſophiæ Scholaſticæ natales ex ſecta Peripatetica repetendos eſſe, nullus me hercle ambigit. Poſtquam enim Arabes ſub exitum ſeculi octavi in Africa, et Hiſpania rerum potiti eſſent; complura illico inſtituta fuere gymnaſia, in quibus Ariſtotelis Philoſophia arabice reddita publice divulgari, et omnimodis foveri cepit: eo quod barbaris iſtis facundum Platonis differendi genus diſpliceret; atque e diverſo ſubtilis, ac præciſus Ariſtotelis ſtylus magis arrideret. Illuſtrata ſubinde in hisce gymnaſiis Philoſophi huius doctrina per varias, præſertim Averrois, et Avicennæ commentationes (*), in finitimam primum Hiſpaniæ Galliam, tum Italiam, et alias denique Europæ provincias mira celeritate devoluta literatorum animos adeo faſcinavit; ut miſſa Philoſophia Platonica, quæ antiquiſſimis antea Patribus frequens fuiſſe creditur, ad unum pene omnes ſeſe Peripateticos faterentur (**). Inde factum eſt, ut ad initium ſeculi decimi tertii Ariſtotelis libri in alma Univerſitate Pariſina maximo cum applauſu publice prælegi ceperint; et quidem methodo Arabibus familiari, ſubtili videlicet, et contentioſa, cui ad maximam partem ſuppetias attulit feſtivum ratiocinandi artificium per ſyllogiſmos, quod ſuomet ex ingenio Stagyrita depromſiſſe legitur. Atque hæc diſputatrix, et contentioſa philoſophandi ratio, eoquod

(*) Obſervat tamen Cl. Bruckerus apud P. Hauſer in Introduct. Hiſt. ad Philoſ. Philoſophiam Peripateticam a commentatoribus obſcuratam magis, quam illuſtratam fuiſſe. cum opera Ariſtotelis adeo per verſiones, et commentationes corrupta fuerunt, ut ex græcis bonis facta ſint latina non bona, ex latinis malis, Arabica peſſima.

(**) Fuſius hoc, et ſequentia pertractat Cl. Joan. Launoius *De varia Ariſtotelis in Academiâ Pariſina fortuna.*

quod in *ſcholis* publicis, inter multas licet fortunæ vices ad noſtra usque tempora uſurpata ſit, *Scholaſtica* tandem ubivis locorum nuncupata eſt.

Recens erectus in Scholis Peripatus cura, et ſtudio præſtantiſſimorum illa ætate virorum Abælardi, Petri Lombardi, Petri Hiſpani, Alberti Magni, Alexandri Alenſis, aliorumque mirum in modum efflorescere, ac propagari cepit, ita quidem, ut reliquis pene omnibus Philoſophorum ſectis exilio multatis (*) ſolus in quieta poſſeſſione perſiſteret, et in univerſis ſcientiarum Athenæis iura daret. Nunquam vero Peripatus magis triumphaſſe legitur, ac dum ex Pariſina Academia eodem ſeculo decimo tertio tres prorſus illuſtres ſcholaſticorum ſectæ, *Thomiſtarum* videlicet, *Scotiſtarum*, et *Nominalium* emerſerunt. Thomiſtæ duce Divo, et Angelico Doctore Thoma Aquinate, viro in ſacris, et profanis ſcitis profundiſſimo gloriantur. Scotiſtæ anteſignanum reverentur Joannem Dunz, a patrio ſolo *Scotum*, a præſtantia vero doctrinæ, ingeniique perſpicacia *Doctorem ſubtilem* compellatum. Nominales tandem (ſic dicti ab excutiendis ſolummodo vocibus, rerumque conceptibus, quos velut obiectum Philoſophiæ præſertim rationalis ſtatuerunt; cum e regione Scholaſtici *Reales* indolem potius, et naturam rerum, quam voces, ſterilesque conceptus diſcuterent) authorem, ſeu potius reſtauratorem profitentur Guillielmum de Occam alias ſub nomine *Doctoris ſingularis*, vel *Authoris invincibilis* percelebrem. Videtur tamen hæc ſecta cum ſuis cultoribus penitus interiiſſe, nihilque niſi merum nomen poſterorum

(*) Ariſtoteles etenim more Ottomanorum, regnare ſe haud tuto poſſe putabat, niſi fratres ſuos omnes contrucidaſſet. Ita Baco de Verulam: de Augment. ſcient. l. 3. c. 4.

rum curioſitati tranſcriptum fuiſſe (*). Cum interea Thomiſtarum, Scotiſtarumque placita ad præſentem usque diem in celeberrimis regularibus familiis plauſibiliter divulgantur; imo etiam præſtito, ut aiunt, in verba Magiſtri iuramento ſumma pertinacia, et haud impari faſtu literario propugnantur.

Sectam Peripatetico - ſcholaſticam primis ſaltem temporibus inſuper amplexati ſunt Doctores ex inclyta Societate JESU, inter quos eminuere Eximius Suarez, Vaſquez, Amicus, Arriaga, Toletus, aliique innumeri; qui exaratis divite vena multiplicibus commentariis Stagyritæ doctrinam illuſtrare aggreſſi ſunt. Unde contigit, ut interdum a conſueta Angelici, aut Subtilis Doctoris interpretatione diſcederent, et viam quaſi mediam capeſſerent. quod tamen ſumma ſemper et ad genium inclytæ huius Societatis compoſita modeſtia factum eſt. Magna præſertim veneratione Laudati Patres in D. Thomam feruntur; a quo hinc inde quidem ob domeſticæ cuiusdam opinionis complacentiam non niſi *cum reverentia* recedunt, illius tamen mentem, et verba pro virili in partes ſuas pertrahere laborant; haud aliter, ac ſi Doctor Angelicus in ipſorum favorem oracula eructaſſe cenſendus foret (**). Verum hæc ipſa Recentiorum (hoc enim nomine præfati Doctores e S. J. compellari volunt) in S. Doctorem propenſio, velut pomum Eridos mutuam partium quietem ex templo ſuſtulit. cum Thomiſtæ, et cumprimis viri ex ſacra D. Dominici familia percelebres, iurati utpote Angelici Doctoris aſſeclæ literaria Zelotypia uſtulati doctrinam huius S. Scholarchæ

(*) Nominalium doctrinam accurate deſcribit R. P. Franc. Marazzanus S. I. Italus Ariminenſis.

(**) Nemo ſane ignorat, RRes a Thomiſtis omni prorſus ætate in præcipuis quibusdam, et ad Characterem utri-

larchæ ſibi ſolis vindicarent, puriſſimosque eiusdem doctrinæ latices e publicis cathedris ſeſe propinare iactarent, alios e regione non niſi aquas turbidas, aut depravatos, vel omnino ſpurios fontes in Auditorum animos derivare, elato interdum ſupercilio contenderent. Atque inde inter utramque ſectam ſcaturire occepit

- - - vetus, atque antiqua ſimultas,

immortale odium, et nunquam ſanabile vulnus (*).

Hinc mordax illud, et acerbum ſcribendi genus obtinuit, quo inter ſeſe velitari conſueverunt: cum integra ſchediaſmata ad maximam partem non niſi ſalibus felle ſuffuſis, popularibusque interdum convitiis referta prelis committunt; et veritati ſeſe litaſſe arbitrantur, ſi in iisdem æmulos ſuos robuſta talismodi eruditione illiberaliter dedolaverint. Hinc contentioſa pariter diſputandi methodus familiaris evaſit in publicis exercitationibus, quarum ſub auſpicio iuxta inveteratum Scholaſticorum morem, niſi ampullas, et ſeſquipedalia verba proiecerint, certe mutuo ſeſe in conſuetis invitationum, et reſponſionum formulis ridicule, et plus quam comice traducere geſtiunt. tandem, cum ad ipſum utriusque Sectæ pertinentibus ſententiis ab invicem diſſentaneos fuiſſe: quales ſunt. *de poſſibilitate in- et extrinſeca entium. de formali, et cauſſali futuritione. de veritate propoſitionum de futuro. de famoſa Prædeterminatione phyſica &c.* et tamen pars utraque de patrocinio Angelici Doctoris ſatis confidenter gloriatur. Magnus igitur nobis Apollo erit, qui in tanta rerum facie velut ex Tripode vaticinatus fuerit: cuinam credendum ſit, hanc potius eſſe mentem S. Doctoris, quam aliam. Porro videtur mihi præſens Scholaſticorum de ſincero D. Thomæ ſenſu litigium illi haud diſſimile eſſe, quo olim *Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamis, Chios, Argos, Athenæ* de Homeri Patria digladiabantur.

(*) Juvenal. Sat. XV.

ſyllogiſticæ vociferationis artificium deſcendunt; ſenſim (niſi forſan choleræ, aut climatis intemperies animorum malaciam tollat.)

- - - - - - - *iurgia prima ſonare*
incipiunt animis ardentibus - - -
dehinc clamore pari concurritur, et vice teli
ſævit nuda manus (*). - - - - -

Poſtquam vero per dimidiam ferme horam, deſtinatum videlicet in ſcholaſticis exercitiis temporis ſpatium, ferociter decertatum, ſeu verius, paribus utrinque pulmonibus declamatum eſt: illico facta ad invicem modeſta incurvatione inter *demiſſiſſimas gratiarum actiones* pacem, et concordiam ſimulant, poſt aliquot momenta ad priſtina odia reverſuri (**).

Verum, etſi ſecta ſcholaſtica tot, tantisque motibus inteſtinis hinc inde afflicta fuit; primas tamen ubivis locorum feliciter retinuit. Nam ſcholæ diſcordes in eo ſaltem concordes erant, quod cuiuslibet partis aſſeclæ ſcholaſticos ſeſe profiterentur: et præcipue, poſtquam Doctores Pariſinæ Univerſitatis anno 1611. renovaſſent Decretum per Emm. Card. S. Marci, et S. Martini Urbani V. Commiſſarios iamiam anno 1366. editum, ut in

(*) Juvenal. Sat. XV.

(**) Ædepol! vidi egomet per eiusmodi diſputationes ipſas etiam ædes ſacras horrendis clamoribus eousque profanari, ut integra exercitatio literaria Lapitharum convivio propemodum conſimilis videretur. Vera loquor! *Non equidem hoc ſtudeo, bullatis ut mihi verbis pagina turgeſcat, dare pondus idonea fumo.* Perſius. Sat. V.

in Gallia traderetur Philoſophia Ariſtotelica (*). quod dein annis 1624. et 1629. a Parlamento Pariſino iterato confirmatum fuit Academiarum Reginam, et Matrem continuo æmulantibus cunctis fere Europæ Univerſitatibus (**). Ter fauſtis interea ſcholaſticæ Philoſophiæ ſucceſſibus circa medium ſeculi decimi ſeptimi moras iniecit recenter exſurgens *Neotericorum* factio, quæ emendatis antiquorum Græcorum principiis, aut a gentiliſmo depuratis, inque ordinem meliorem redactis adverſus Peripatum Scholaſticum arma commovit. Primi claſſicum cecinere in Anglia Baconus de Verulamio orbi Politico, et Literato notiſſimus, & Robertus Boyleus: in Hetruria Galilæus Galilæi: in Gallia Petrus Gaſſendus, et Renatus des Cartes: in Germania Leibnitzius, Sturmius, Wolfius &c. ac præſertim nobilis Brito, ac ingentis nominis Philoſophus, una et Mathematicus Iſaacus Newtonus.

Cauſſæ

(*) Verius tamen per Philoſophiam Ariſtotelicam, quæ illa ætate circumferebatur, intelligi poſſent fragmenta huius Philoſophi per Arabum interpolationes miſerrime conſuta.

(**) Quidni ? cum et mores, et veſtes Gallorum hodiedum non aliter, ac perenni ſervitute compulſi æmulari ſtudemus. Cetera, dum mentionem hic infero de Decreto in favorem Philoſophiæ Peripateticæ edito, animo inſimul occurrit perfacetus ſupplex libellus Univerſitatis Pariſienſis ad Præſides montis Parnaſſi. *Requeſte en faveur d' Ariſtote à nos Seigneurs du Mont Parnaſſe.* qui legitur in Menagianis Tom. 2. Huic libello ſubiungi meretur. *Arret donné en faveur des Maitre es-Arts Medicin, et Profeſſeurs de l' Univerſité, pour le Maintien de la doctrine d' Ariſtote.* quod Decretum ridiculum exſtat Tom. II. operum D. Nicol. Boileau Deſpreaux. Multa in his pagellis prorſus utilia ac iucunda, ſed et erudito ſale permiſta curioſus lector offendet.

Cauſſæ graviores, quæ tantos Viros in arenam literariam deſcendere compulerunt, fuere inprimis aſperum, et ad barbariem usque horridum dicendi, et docendi genus, quo in publicis prælectionibus Scholaſtici utebantur; *dum ſibi*; ut Claudius Fleurius animadvertit (*), *cudebant aictionem ſingularem, ab omnibus linguis vulgaribus, et a vera latinitate diſtinctam.* quæ non tantum inſipidis, et incultis phraſibus abundabat, ſed inſuper ad exprimendos mentis conceptus non niſi Logogryphos, et obſcura vocabula propinabat, ad quorum ſignificationem rite penetrandam vel ipſe Oedipus recenti verborum apparatu egeret. Inde factum fuiſſe creditur: ut is coram vulgo literario primi ſubſellii Scholaſticus haberetur, qui opinionem ſuam tam arcanis terminis, ac peregrinis vocibus proponere, ac adeo argutis cavillationibus involvere novit; ut ab auditoribus vel nulla ratione, vel certe non niſi poſt profundam meditationem ſumma tandem cum admiratione intelligeretur.

Omnia enim ſtolidi magis admirantur, amantque,
inverſis quæ ſub verbis latitantia cernunt.
veraque conſtituunt, quæ belle tangere poſſunt
aures, et lepido quæ ſunt fucata ſonore (**).

Altera et forſan potentiſſima cauſſa motrix erat neglectus experientiæ: cum Scholaſtici pene omnia rationi attribuerent *ex nimia reverentia*, et *adoratione intellectus humani*, ut egregie advertit Baconus de Verulamio (***). *Unde abduxere ſe a contemplatione naturæ, atque ab experientia, in propriis meditationibus, et ingenii commentis ſusque deque ſe volutantes.* Protinus etenim ad inu-

(*) Differt. V. in Hiſt. Eccl. §. XVI.

(**) Lucret. l. 1. de rerum nat. V. 642.

(***) l. 1. De Augment. Scient.

inutiles ſubtilitates, ad Metaphyſicas, tranſcendentales, ſupertranſcendentales, imo verius chimericas ſpeculationes prolapſi portentoſas omnino quæſtiones confarciebant (*) : atque per integrum fere triennium (nubem quippe pro Junone apprehendentes) aridas vocum paleas excutiebant, verminoſosque inanium poſſibilitatum cortices diffringebant, ſicque in modum Eriſichtonis vana aura paſcebantur. Hinc mirum non eſt, ſi entia entibus, entitates entitatibus, qualitates qualitatibus multiplicarent, ac ſuper qualibet re propoſita artificioſas obiectiones formarent : quarum deinde reſolutiones tanta diſtinctionum, ſubdiſtinctionum, præciſionumve congerie ſueverunt obruere ; ut Danaidum urnam aquis prius repleveris, ac eiusmodi reſponſionum ſinceritatem, et valorem inſpexiſſes. Altefati itaque viri huius rei indignitate permoti miſſis verbalibus

(*) Scatent revera eiusmodi inſulſis quæſtionibus integra volumina, ut indagantibus nullo negotio patebit. Neque etiam ætas illa a noſtro temporum curriculo adeo remota eſt, ubi ieiunis quæſtionibus *de obiecto Logicæ. An Logica ſit ars, an ſcientia, an ſimpliciter practica? an ſecundum quid? de præciſionibus obiectivis. de univerſali a parte rei de ente rationis. De materia prima Peripatetica, de eiusdem materiæ appetitu &c.* myriades foliorum onerabantur, imo etiam poſitiones ex iisdem quæſtionibus in publicis diſputationibus inter tubarum, tympanorumque ſtrepitus ſatis thraſonice ventilabantur. Nemo tamen exinde ſolicitus erat, an per eiusmodi affanias reipublicæ humanæ obſequium præſtaret, veram utilitatem promoveret, aut utilem veritatem detegeret. videbatur enim Scholaſticis hisce ſuffenis ſufficere, vel de lana caprina litem moviſſe: hinc mirum non erat, ſi in fine diſputationis multum clamoris, et parum lanæ inventum eſt. Ne vero animo malevolo, et ſpiritu contradictionis talia profari, vel ex ignorantia potius culpaſſe arguar; bona omnium cuiuscunque ætatis Scholaſticorum venia aliquot

libus Scholasticorum tricis, novas, & a prioribus longe diversas philosophandi vias arripuerunt; omnemque rerum naturam, relictis inutilibus speculationibus ad exactas Staticæ, ac Mechanicæ leges revocarunt. Quæ philosophandi ratio, cum plurimis indies observationibus, et experimentis illustraretur, adeo invaluit, ut totam fere Galliam, Angliam, Italiam, Germaniam &c. occuparet. præprimis, cum per adinventas varii generis mirificas machinas multa exinde in rempublicam humanam emolumenta promanare ceperunt. Ab illo mox tempore secta scholastica despectui habebatur; stomachumque excitabat, quidquid Aristotelem, quidquid Peripatum redolebat. Quinimo cum inchoatam semel Philosophiæ reformationem Viri literatissimi præsenti quoque ætate improbo labore prosequerentur, integer tandem Peripatus cum Senecione stagiritæo ex omnibus

 cathe-

quot quæstiones hic adiiciam, quas ipsus ego ex impressis opusculis quibusdam, quæ varii authores ex occasione disputationum decretoriarum publica luce donarunt, aliquando ex otiosa curiositate collegeram. I. *Utrum homo ex eo imperfectus sit, quia non est DEUS?* II. *Utrum DEUS non possit prædeterminare pulicem ad producendam aquilam?* III. *Utrum aliqua creatura possit naturaliter exsistere, et esse nullibi?* IIII. *Utrum Angelus, si nocte crearetur, sciret dari modo tenebras?* V. *An dentes sint pars hominis?* VI. *Utrum Ens rationis per propriam, vel alienam speciem intelligatur?* VII. *An Ens rationis in intellectu, vel voluntate sit positum?* VIII. *Utrum DEUS cognoscendo Ens rationis non contristetur?* IX. *Utrum si creatura ab æterno exsisteret, DEUS esset caussa illius?* X. *Utrum Christo Enti per accidens conveniat prædicatum substantiæ?* XI. *An ignis prius agat in proximam, quam remotam partem?* XII. *Utrum si hodie daretur materia, cras forma, perendie unio, daretur compositum physicum permanens.* XIII. *Utrum creatura in ratione suæ elevabilitatis sit infinita.* XIV. *Utrum, posito si DEUS necessitaretur ad producendum aliquod ens, DEUS tamen esset essentia caussæ hujus entis.* XV. *Utrum dentur Entia naturæ amabilia?*

cathedris publicis eiectus ad Monachorum Clauſtra confugit: ubi inter paucas adhuc regulares familias anili ætate confectus velut in Gerontodochio ſupremum exſpectat diem. Tentaverunt equidem nonnulli mitiori, ut apparebat, aura ſectam ſcholaſticam priſtino ſplendori reſtituere; cum illam ab entitatibus, et qualitatibus, velut antiquis venuſtiolis (*) depuratam fucata recenter facie, et tunica ad novitatem variegata eruditio orbi ſpectandam proponerent. Verum ſpe ſucceſſum fallente illico Patroni iſti mordacibus novaturientium ingeniorum ludibriis riſuique ſardonio patuere, haud aliter, ac

Humano capiti cervicem pictor equinam
iungere ſi velit, et varias inducere plumas (**).

Alii tamen pacatioris genii Philoſophi potius condolere videntur implacidæ adeo tantorum Virorum, ac præprimis Religioſorum ſorti, quod tam carioſum ſectæ ſcholaſticæ iugum forſan ob ſanctiores regularis obedientiæ compedes excutere non liceat.

DE

lia? &c. Ad omnes modo non tam Philoſophos, quam Theologos appello: ediſſerant liberaliter, quæ utilitas, quæ veritas, quodnam denique ſobriæ eruditionis robur ſub hisce quæſtionibus lateat? qualenam tandem commodum ex reſolutione earum reipublicæ humanæ accreſcat? Pronum mihi quoque foret Authorum recenſere nomina, ſiquis ex me ſtudioſe rogaret, verecundius tamen illa ſubticeo, ne forte quibusdam *in Satyra videar nimis acer, et ultra legem tendere opus.* Horat. l. 2. Sat. 1.

(*) Mundus muliebris intelligitur, qui elatiori vernacula Schönpflästerchen nuncupatur.

(**) Horat. in arte poëtica ad initium.

DE PHILOSOPHIA ECLECTICA.

Philoſophiæ Ecle&ticæ nomine ea philoſophandi ratio indigitatur, quæ nullius authoritati mancipata ad ſanæ rationis regulam reſpicit, eaque duce opitulantibus inſimul ſenſuum experimentis clara ſibi, et certa principia ſeligit, ex quibus legitimæ veritates derivantur; nihilque ex aliorum Philoſophorum placitis admittit, quod non ſolidiſſime perquiſitum, ac probatum ſit. Philoſophia Ecle&tica igitur *nullo eſt vin&ta compede, nullius iugata imperio: ex ipſa nominis etymologia non eſt Gaſſendica, non Carteſiana, non Ariſtotelica, ſed Libertina* (*). Originem illius referunt non nulli ad Potamonem Alexandrinum, qui iamiam ſub Auguſti imperatoris temporibus floruit. Quin antiquiſſimis quoque Eccleſiæ Patribus eam familiarem fuiſſe, conſtat ex Origene, Gregorio Thaumaturgo, et Clemente Alexandrino. Poſtquam vero diſciplinæ Philoſophicæ ſervili iugo Scholaſticorum ſubie&tæ fuere, illico per aliquot ſecula hæc ſentiendi libertas ad Garamantas abie&ta fuit. Qui enim ſemel in alterius verba iuraverit, prout Scholaſticis commune eſt,

Libertate caret, Dominum vehet improbus, atque
ſerviet æternum; ingenio *quia neſciit uti* (**).

Donec tandem eadem libertas a Franciſco Bacone de Verulamio, viro non tam Philoſophiæ, quam emendandis pene omnibus ſcientiis nato, ad publica Literatorum compita revocata fuit (***). Inſignes conatus huius ſe&tæ Ecle&ticæ Promachi, alii plurimi diverſarum

 gen-

(*) Ita P. Daniel in itinere per Mundum Carteſianum.

(**) Horat. l. 1. Epiſtol. X. ad Fuſium Ariſtium.

(***) Conſule præſtantiſſimi huius Philoſophi *Novum organum ſcientiarum* et libros *de augment. ſcient.*

gentium Philoſophi tam ſtudioſe promoverunt, ut hodiedum celeberrimæ Academiæ, ac plerique cœtus Monaſtici eidem feſtive ſubſcriberent.

Neque ex mera novaturiendi libidine id factum fuiſſe cenſendum eſt. Quippe Viris iſtis probe perſpectum, ac perſuaſum fuerat: ſtudium omne diſciplinarum naturalium amore ſolius veritatis aut detegendæ, aut conſolidandæ ſuſcipi, et ad illam velut ultimum finem dirigi debere; bene providi itaque exhorruerunt periculum deceptionis, aut erroris a tam nobili fine, cui procul dubio obnoxios ſeſe reddidiſſent, ſi cæco impetu quaſi ſervum pecus unius addicti iuraſſent in verba Magiſtri. Neminem utpote fugit; multa quidem vera, et utilia cum ab antiquis, tum novioribus Philoſophis detecta, et aſſerta, ſed quam plurima inſimul incerta, inutilia, et a veritate prorſus aliena illorum placitis inſerta fuiſſe, prout copioſa argumentorum inductione de Platone, Ariſtotele, Epicuro, Carteſio, Gaſſendo, Wolfio, aliisque oſtendere pronum foret. Ut igitur eo felicius ſupra tactum finem conſequerentur, omnem authoritatis humanæ fiduciam abiecere, turpe exiſtimantes cum Pythagoricis deſpoticum illud Αυτος εφα tanquam veri regulam reſpicere; cum alioquin ab ipſo authore naturæ præter inndtum quævis penetrandi deſiderium aptiſſima quoque ad hunc finem aſſequendum media mentibus humanis ſubminiſtrata eſſe cognoſcerent (*). quibus proinde adiuti nihil in dogma philoſophi-

(*) Eleganter in hanc rem Lactantius apud Anton. Gen. l. 1. art. Log. crit. c. V. ſic diſſerit. *Dedit omnibus DEUS pro virili portione ſapientiam, ut et inaudita inveſtigare poſſent, et audita perpendere. Nec quia nos illi (maiores noſtri) temporibus anteceſſerunt; ſapientia quoque anteceſſerunt; quæ ſi omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non poteſt.* Vel qua demum ex licentia ipſus Ariſto-

ſophicum aſſumere contendebant, quod non aut ſanæ rationi, aut oculari, palpabilique ſenſuum teſtimonio, ſive utrique conſentaneum fuerit viſum. Eapropter illa pariter aliorum Philoſophorum placita (videlicet, ne cum colligerent Zizania, eradicarent ſimul et triticum) civitate donabant, quæ ad eundem rationis, et experientiæ lapidem lydium examinata, veritatis, aut rigidæ ſaltem hypotheſis æſtimatione digna fuere inventa. verbo. in hac ratione philoſophandi eclectica non quæritur: quis, aut quidnam dixerit? ſed quam recte, id eſt rationi conforme. ut adeo probe coincidant verba illa perantiqui cuiusdam Eclectici (*): *Philoſophiam non dico Stoicam, nec Platonicam, aut Epicuream, et Ariſtotelicam* (imo nec Carteſianam, Atomiſticam Wolfianam, aut Newtonianam) *ſed quæcunque ab his ſectis recte dicta ſunt, hoc totum ſelectum dico Philoſophiam.*

Poſtquam igitur Secta eclectica reformandæ Philoſophiæ negotium aggreſſa eſt, nova illico rerum facies apparere cepit, cum quælibet Philoſophiæ pars recenti eruditionis apparatu inſtructa fuit. Ex Logica nimirum otioſa terminorum diſcuſſio proturbata, & mechanica ſyllogiſmorum confibulatio a ſophiſticis argutiis depurata fuit: & e diverſo ſuccinctæ regulæ, quæ artem cogitandi, inveniendi, iudicandi, ac differendi promoverent, morbisque intellectus, ac iudicii mederentur, conſtitutæ fuere. Metaphyſica exterminatis

 inani-

Ariſtoteles veſtigiis Magiſtri ſui Platonis relictis novum philoſophandi genus apprehendit? cur ergo Religioni ſibi ducunt Scholaſtici e caſtris Peripaticis diſcedere? *quaſi vero* (ut perbene Cl. P. Donatus a Tranſig. Dom. in præfat. ad introductionem in logicam advertit) *quaſi vero ſolus ille* (Ariſtoteles) *verum viderit, nihilque poſteris videndum reliquerit.*

(*) Clemens Alexand. in Imo Strom.

inanium ſubtilitatum ſenticetis puriora modo cognitionum noſtrarum principia, ac fontes ſubminiſtrat. Ethica dudum antea neglecta, imo inter Scholaſticas tricas penitus ſuffocata denuo reviviſcit. Phyſica tandem, quam, iuxta ſæpe laudatum Baconem (*), Ariſtoteles Dialectica corrupit, ut *iam nil aliud, quam dialecticæ voces ſonet, quam etiam in Metaphyſicis ſub ſolenniori nomine, et ut magis ſcilicet realis, non nominalis retractavit.* non amplius inſulſis verborum vitiligationibus, ſterilibusque occupatur conceptibus, ſed ſenſuum criterio adiuta, iugique eventuum naturalium obſervationi intenta ſincera de cauſſis, et effectibus phyſicis efformat iudicia. & miro nexu utile dulci permiſcet (**).

Incrementum, et nitorem ſectæ huius Eclecticæ hodierni Philoſophiæ cultores nunquam latius propagarunt, aut altius promoverunt, ac dum ad explicanda naturæ Phœnomena mathematicis ut plurimum, et Geometricis ſubſidiis eventu pariter ex omni latere ſecundo uterentur. Inde tamen contigiſſe arbitror: ut, quemadmodum Scholaſtici plurima ex penu theologica ad profanos Philoſophiæ uſus transtulerunt; ita etiam ſatismulta ex Mathematicis diſciplinis ſcitis præcipue phyſicis commiſta fuere, ut quaſi ſpecies quædam *Matheſeos*, aut *phyſices mixtæ* exſurgere ceperit. Quin imo, ut omnes omnino Peripati reliquiæ funditus extirparentur,

(*) In novo Organo Aphoriſ. LXIII.

(**) Neque prodeſt Fautoribus Ariſtotelis, Philoſophum hunc experientiæ quoque ſtudioſum fuiſſe, prout ex illius libris de animalibus, et ex Problematibus inferunt. nam denuo obſervat laudatus Baco citato Aphoriſmo: Ariſtotelem prius decreviſſe, et tunc primum experientiam ad ſua placita tortam circumduxiſſe, et captivam; ut hoc etiam nomine magis accuſandus ſit, quam ſectatores eius (Scholaſtici) qui experientiam omnino deſeruerunt.

rentur, in ſingulis pariter Philoſophiæ partibus pertractandis Methodus Mathematicis communis adhibita eſt, eliminatum fuit omne artificium ſyllogiſticum, nihilque propugnandum aſſumebatur, quod non regulis analyticis, aut ſyntheticis conformiter elaboratum fuerat. Hæc itaque philoſophandi ratio cum ſimpliciſſima ſit, et vel ipſi rationis lumini conformior, merito, et iure in omnibus athenæis literariis civitate legitima fruitur; licet hinc inde Sarcaſmis edentulorum quorumdam Scholaſticorum, & ferulæ cenſoriæ Theologorum expoſita ſit. qui, utpote ineluctabili præiudiciorum vortice correpti, illos Philoſophos Eclecticos eſſe arbitrantur, qui ſuum duntaxat iudicium ſequuntur, et ea, quæ ſibi opportuniora ſunt amplectuntur; imo *malunt libertatem quidlibet ſentiendi errandi periculo redimere, quam alterum maiorem agnoſcere, atque ſequi Magiſtrum* (*). Verum enim vero palmarem hoc calumniam innuere, nemo eſt, qui ambigit. nam

- - - Male verum examinat omnis
corruptus (**) - - - - -

anticipatione iudiciorum, craſſumque errorem Elenchi incurrit; cum Eclecticos criminis incuſant, cui nulla ratione, ex allata modo deſcriptione obnoxii eſſe poſſunt. Id tamen potius cavendum eſſe reor: ne Eclectici tam ingenua libertate abutantur, et libidinis ſuæ ſervi evadant, aut in turpem contemptum declinent. cum omnes illos vel effuſo riſu, vel cavillabundo ſibilo explodunt, qui non in eamdem cum ipſis ſententiam diſceſſerunt. quaſi vero Philoſophi alicuius doctrina haud ſana poſſet eſſe, niſi Wolfiana, aut Newtoniana audiat? non ne enim

(*) Plinius in Præfat. Hiſt. natur.
(**) Horat. l. II. Sat. II.

Quot capitum vivunt, totidem ſtudiorum Millia (*)?

Medius fidius! et ſunt quædam acute a Peripateticis excogitata, a Carteſianis, plurima ſummo iudicio ſcripta, quæ idcirco contemnere, quod Newtoniana, aut Wolfiana non ſint, iuveniliter deſipere eſt. Antequam igitur novaturientes talismodi ſcioli ad aliorum dogmata nares attrahant, ſtudioſe prius animo imprimant aureum canonem Cl. Antonii Gen. (**)

Tu nullius hominis contemnito ingenium: de humanarum mentium cogitatis non ex ullo præiudicio, ſed ex ratione iudicato: libertatem philoſophandi, quæ DIVINA QUÆDAM RES eſt, ut ne vis conſuetudinis, et ſeculi ſecum abripiat caveto: nulli nimium credito: neminem ſine ratione averſator.

Hæc tandem ſunt celebriora Philoſophiæ fata, hæc notiorum Sectarum indoles. Intereſt modo, ut mentis meæ ſenſa candide, et quantum per modicum rationis meæ lumen licet, proferam: quænam videlicet philoſophandi methodus, an Scholaſtica, an Eclectica retinenda ſit? ut reſolvendo problemati tandem propius accedamus. Atque ne diu morer, rotunde profiteor: Rationem philoſophandi Eclecticam etiam in ordine ad ſubeundum SS. Theologiæ, aut Iurisprudentiæ ſtudium, Scholaſticæ præferendam eſſe. cum per eam longe felicius et veritati, et utilitati cum ex parte docentium, tum ex parte diſcentium conſulatur, ſicque præfixus ſobriæ Philoſophiæ finis facilius obtineatur. ſincerum tamen artificium ſyllogiſticum a Paralogiſmis, inanique verborum luſu depuratum ex methodo ſcholaſtica utiliter retinendum eſſe exiſtimo: non quidem, ac ſi aliud methodi genus ignobile, aut minus utile foret; ſed

(*) Horat. l. II. Sat. I.

(**) l. I. Art, Log. crit. C. VI.

ſed præcipue; quod methodus ſyllogiſtica ob rotunditatem, ordinem, claritatem, et invictum propemodum conſtringendi robur non minus Philoſophicis, et Theologicis, ſed et omnibus aliis literarum diſciplinis deſerviat.

Profecto, nec novum, nec paradoxum quid aſſero. etenim dudum quam plurimi et virtute Religionis, et doctrinæ laude conſpicui Monachi in hac ſemita facem ter fauſtis avibus prætulere: quorum veſtigiis ego quoque pro virili inſiſtere laboravi. imo nullus dubito: quin et reliqui pauci in hanc philoſophandi methodum proni forent; niſi iras et minas Seniorum ſuorum pertimeſcerent. qui utpote tenacibus præiudiciis irretiti, et clamoſæ Scholaſticorum eruditioni aſſuefacti omnia eliminatum eunt, quæ Peripatum non ſapiunt, nempe, ut olim Vates Venuſinus ceciniſſe legitur:

> - *Quia nil rectum, niſi quod placuit ſibi, ducunt. vel quia turpe putant parere minoribus: et quæ imberbes didicere, ſenes perdenda fateri* (*).

Hinc nullum non arietem movent, ut recentem hoc ævo Philoſophiam, quam ironice non niſi *Tornatoriam*, ſeu Drechsler Philoſophie nuncupant, deſpectam, imo etiam de ipſa fide ſuſpectam reddant. Expedit profecto ut non nulla momenta expendamus, quæ tam acerba odia in animis Virorum iſtorum excitarunt adverſus reformatam Philoſophiæ faciem.

In prima ſtatim fronte occurrit inviolabilis Ariſtotelis Authoritas, quæ per tot ſecula a Viris literatiſſimis, imo et ſanctiſſimis unanimi conſenſu ſummo in honore, ac pretio habita fuit: a qua authoritate, et conſenſu vel transverſum unguem diſcedere aut iuvenile, aut temerarium

(*) Horat. l. II. Epiſt. I. ad Auguſt.

rarium videri exiſtimant. Verum non eſt, cur notam temeritatis incurriſſe metuamus. Non enim ideo Ariſtotelis, aut Scholaſticorum non nulla placita deſpicimus (quæ enim bona ſunt adhucdum recipiuntur, et a ſeris poſteris recipientur) quoniam pyliam vetuſtatem redolent. ſed vel maxime, quod aut aperte falſa ſint, aut omni penitus utilitate deſtituantur: vel quia temporis ſucceſſu ob induſtrias ſenſuum indagationes, et obſervationes alia modo effectus cuiusdam, ſeu cauſſæ naturalis ratio habenda eſt, niſi quis apertis oculis, et pleno meridie cœcutire velit (*). quin imo multa adhuc in apricum proferet ætas, quæ nobis occultata ſunt, aut de quibus non niſi obſcuram ideam habemus: apertæ dein inſaniæ foret; ſuccedaneos noſtros temerariæ novitatis incuſare, ſi clariorem illarum rerum ideam ex multiplicatis experientiæ tentaminibus eruiſſent. Quid

Quod ſi tam Græcis novitas inviſa fuiſſet (**)
quam nobis, - - - - -

quomodo vel ipſe Ariſtoteles ſectæ Peripateticæ anteſignanus ſalutari promeritus fuiſſet? Audiri profecto meretur hac ſuper re inſignis *Author artis cogitandi* hunc in modum diſſerens (***). „Si

(*) Quis enim quæſo! hodiernorum Scholaſticorum amplius ad metum vacui recurrit ad explicanda phœnomena aſcenſus Mercurii in Barometro, aut aquæ in antlia aſpirante, vel Syringe? Vel quis auſit hodie pertinaciter aſſerere: non dari Antipodes: eoquod Sanctiſſimi Viri Auguſtinus, Lactantius, Beda &c. illorum exſiſtentiam negaſſent, et S. P. Zacharias Virgilium Salipolitanum Epiſcopum eorum exſiſtentiam propugnantem ab officio ſuſpenderit!

(**) Horat. l. II. Epiſt. I. ad Auguſt.

(***) In proëmiali diſſertatione 2da ad artem cogitandi. edit. Venet. MDCCXLIX. quæ concordat cum Gallica Amſterodamenſi de anno M.D.CCXVIII. In editione per Cornel. ab Ackersdyck a. ClɔlɔCLXVI. Traiecti ad Rhenum adornata autem ambæ diſſertationes deſiderantur.

„Si tamen quidam ſint, qui nefas arbitrantur vel „tantillum ab Ariſtotele diſſentire, idque palam teſtari; „non erit admodum difficile oſtendere, quam a ratione „aliena ſit hæc teneritudo. Si quibusdam Philoſophis „reverentiam deferre tenemur, id tantum duas ob cauſ„ſas faciendum eſt, vel ſcilicet intuitu veritatis, quam „coluerunt, vel æſtimationis, quam ſibi apud eruditos „acquiſivere. Veritatis autem cauſſa tunc ſolum illis „cultus debetur, cum illam ſunt aſſecuti; veritas au„tem non exigit, ut falſitatem, apud quemcumque de„mum fuerit, revereamur. Quantum vero ad æſtima„tionem, quam ab unanimi approbatorum conſenſu Phi„loſophi habent, fatendum eſt, illi aliquid deferendum „eſſe, nec citra imprudentiam poſſe ſine debitis cautelis „labefactari, et ratio eſt. qui receptam omnium opi„nionem impugnat, ſuperbiæ, et præſumptionis cri„men videtur incurrere, dum plus ſibi lucis, quam ce„teris omnibus arrogat. Cum vero in Authore aliquo „æſtimando diviſus in partes Eruditorum orbis ſit, cum „utrimque conſiſtant Viri doctrina præſtantes; non iam „amplius has tenemur cautiones adhibere, ſed libere „poſſumus vel condemnare, vel approbare ea, de qui„bus inter doctos opinionum diſſenſio eſt. Iam enim „non tam ſenſum noſtrum Authoris, et approbatorum „ſenſui anteponimus, quam in partes abimus contraria „docentium. En vero ipſiſſimam, in qua nunc dierum „verſatur, Ariſtotelis conditionem! Illius placita utram„que experta fortunam ſunt; quondam ab omnibus im„pugnata, et reiecta, ab omnibus alias culta, et ap„probata; nunc vero medium inter hæc extrema locum „tenent, a pluribus viris doctis propugnantur, ab aliis „non minoris inter eruditos famæ impetuntur. - - - „Celeberrimi Profeſſores non amplius ſe ad illam dam„nant ſervitutem, quidvis ſcilicet clauſis oculis acceptan„di, tuendique, quod in illius (Ariſtotelis) libris pro„poni-

„ponitur; imo quædam Ariſtotelicarum opinionum pror-
„ſus antiquantur. - - - Nimis quidem durum eſt omnes
„omnino Ariſtotelis opiniones proſcribere, quod ali-
„quando factum eſt; omnibus autem aſſenſum oppig-
„norare, illumque ſolum pro regula Philoſophiæ habere,
„quod poſtea eſt agitatum, immanis ſervitus viſa: ta-
„lem homines tyrannidem diu pati nequeunt, ſenſim in
„nativam rationabilis libertatis poſſeſſionem ſeſe vindi-
„cant; hæc autem in eo ſita eſt, ut unusquisque id ap-
„probet, quod verum, id reiiciat, quod falſum iudicat.

Verum longe graviora ſunt adhuc, quæ Scholaſti-
corum animos ad iuſta prorſus odia commovent, ſi il-
lorum propenſum in ſacra fidei dogmata pietatis zelum
intueamur; cum quibus utpote diſciplinas Philoſophicas
arcte connecti arbitrantur. dolentes enim ingeminant:
Sectam Eclecticam, quæ modo in uſu eſt, natales ſuos
trahere ex perverſis Acatholicorum, et hæreticorum li-
bellis: in quibus ſub ſchemate cultioris Philoſophiæ
ſemina Libertiniſmi, et Indifferentiſmi diſperſa ſunt,
cum aperto periculo; ut ſi aliquando libertas ſentiendi
in rebus philoſophicis civitatem obtinuerit, liberior quo-
que novaturiendi pruritus in materiis ad fidem, et Re-
ligionem pertinentibus ſuccedat, cuius rei triſtia pror-
ſus exempla enumerat Celeberrimus P. Veremundus Guſt
Benedictinus *in Examine Theologico Philoſophiæ Neoteri-
cæ* (*). Ut igitur æqui, bonique conſulant, Philoſo-
phiam

(*) Memoriam Doctiſſimi, una & pientiſſimi huius Viri immortàlitati tranſcriptam eſſe nemo ignorat, quis-quis præclara Eiusdem opuſcula literaria vel in ſuper-ficie inſpexerit. In præſenti tamen negotio, cum ad-verſus Neotericos calamum ſtringeret, plus iuſto anti-quis præiudiciis abreptum fuiſſe facile colligitur: cum omnes reliquas ſectas excepta Peripatetico-Scholaſti-ca apertæ hæreſeos inſimulat.

phiam tam periculosa libertate privandam esse contendunt, et ad pristinum S. S. Theologiæ servitium redigendam.

Hæc sane, si ita se habeant, si revera tam grandis ruina ex liberiori Philosophorum aura orthodoxæ fidei immineat; manibus utique, pedibusque in Scholasticorum sententiam redeundum esse aio. Ipsus enim ego haud aliter

Ac Lugdunensem Rhetor dicturus ad aram (*)

vel audito tantum *Libertini* nomine expalleo, ipsus hanc immanem feram cane peius et angue exhorresco. At si de vero sobriæ libertatis usu sermonem miscemus, nulla ratione sectam Eclecticam reiiciendam esse contendo; cuius munus utpote est, ut ea, quæcunque ab aliis sectis (sive Peripateticam, sive Atomisticam, Cartesianam, aut Wolfianam spectes) recte dicta sunt, ad forum suum pertrahat. Tam parum itaque Eclectico Philosopho obest, quædam veritati, et sanæ experientiæ consentanea ex Wolfio, Sturmio, Leibnitzio &c. mutuasse, quam parum ipse Doctor Gentium ad Athenienses verba faciens reprehensibilis censetur; quod aliquot versiculos ex gentili poëta assumptos prædicationi suæ inseruerit. vel, quod ipsi Scholastici placita Gentilis Philosophi, et quidem magis de Atheismo quam idololatria suspecti, qualis erat Aristoteles, scholis orthodoxis inveherent. Non enim, quis quidquam dixerit, attendendum est, sed quam bene dixerit, aut scripserit.

Quod perversionis periculum attinet, paribus utrimque conscientiæ angoribus ut exagitemur, necesse est. quemadmodum enim, ex placitis Neotericorum, et Eclecticorum fides orthodoxa permultis maculis

(*) Juvenal. Sat. I.

lis conſperſa fuiſſe, Scholaſticis videtur; ſic et Philoſophia Peripatetica omnibus qua vetuſtioribus, qua novioribus hæreſibus ianuas, poſtesque aperuit. ſincera inductione id conteſtatur inſignis Eclecticus Philagrius le Roy, Philoſophiæ Radicalis Eclecticæ compilator (*), qui audacter aſſerere non reformidat: *non eſſe hæreſin, quæ in Ariſtotele non fulciatur*. longa dein ſerie ramuſculos tam malignæ arboris recenſet. imo et ſanctos Patres de ſecta Ariſtotelica querulantes adducit, et præprimis S. Juſtinum: qui ſeſe *a Peripateticis in impietatem tractum fuiſſe* profitetur. In eamdem ſententiam abiit quoque inſignis Theologus Melchior Canus magnum ordinis Prædicatorum lumen (**), cum ex Peripateticiſmo exiiſſe Machiavelliſmum, radicem illam peccatorum, et inſolentiæ Principum, et ſeditionis Populorum, atque hinc ſectam *Politicorum*, et *Libertinorum*, quorum proceres ſunt Machiavelliſtæ, et Atheiſtæ, apud citatum Philagrium affirmat. Multam profecto paginam implerem, ſi enumerandis erroribus ſingulis inhærerem, qui ex dogmate Ariſtotelico pullularunt. Eapropter etiam tribus primis Orthodoxæ Eccleſiæ ſeculis Chriſtiani non admodum favebant Peripateticis, imo plurimi SS. Patres graviter in Philoſophiam Ariſtotelicam invecti ſunt; timebant nempe, ne S. fidei ſimplicitas periculum pateretur, ſi acuminibus præſertim logicis, et rationi, quam Ariſtoteles ubique urgebat, iuſto nimium tribueretur, quod tunc temporis Hæretici armis ex Logica Peripatetica

tetica

(*) In Præfatione ad eamdem Philoſophiam Radicalem. Integra hæc Præfatio a quovis Religioſo Philoſopho relegi meretur, et præſertim a Ciſtercienſi, eoquod ſub inſcriptione huius nominis Philagrii le Roy quidam Ciſtercienſis familiæ Alumnus latere videtur, qui illa ætate inter Scholaſticos, et Neotericos ſyncretiſmum diſponere meditatus eſt.

(**) l. 12. de loc. Theolog.

tetica mutuatis temere factitabant. Neque melius Scholastici causſæ ſuæ proſpiciunt, ſi ſectam ſuam ab erroneis, et gentiliſmum redolentibus opinionibus defæcatam eſſe, et ea tantum placita retenta fuiſſe, quæ non minus cum ſana ratione, quam ſanctis orthodoxæ fidei principiis componuntur, adeo glorioſe iactitant. Atqui id ipſum ſobrii Eclectici cogitant, id faciunt, quibus utique non niſi veritatis, et utilitatis amor cordi eſt. aliter qui meditantur, et agunt, Eclectici non ſunt, ſed turpia propriæ complacentiæ mancipia vocitari merentur, quorum dux non fides, non ratio, ſed Φιλαυτια eſt. In Eclecticorum enim partes ſi diſcedimus, *Apes debemus imitari, quæ vagantur, et flores ad mel faciendum idoneos carpunt, deinde quidquid attulere diſponunt, ac per favos digerunt* (*).

Verum bene memini, Scholaſticos ulterius urgere, et contracto ſupercilio inſiſtere: ut quid ergo hodierni Eclectici temerarias adeo, et a placitis Theologicis prorſus alienas opiniones amplectantur? et ductum ſacræ Theologiæ reformident, cui tamen vel ipſa Mater Eccleſia ſubditos ex aſſe omnes Philoſophos eſſe voluit (**)? Hic Rhodus, hic Saltus! Antequam vero me de moleſta hac obiectione expediam, ſit mihi fas aliorum Literatorum in medium afferre ſenſa, quid illis de laudato ſæpius nexu Philoſophiæ cum Theologia, et de prætenſo eiusdem erga illam ancillari obſequio viſum fuerit. Primus omnium de utroque conqueſtus eſt citatus ſæpe Baco de Verulamio, cum ſpinoſam, et pugnacem Ariſtotelis Philoſophiam corpori Religionis, plus quam par eſſet, immiſtam fuiſſe dolet (***). imo ſatis confi-

(*) Seneca Epiſt. 84.

(**) In Decreto, ſeu Bulla in Concil. Lateran. V. General. XVII. Seſſ. VIII. condita, quæ incipit *Apoſtolici Regiminis*.

(***) In novo Organo Aphoriſ. LXXXIX.

denter afferit: per temerariam hanc confuſionem utriusque ſcientiæ, ſuperſtitionem, et zelum Religionis cæcum, et immoderatum in mentes hominum fuiſſe derivatum. Atque cum Theologia longe altioris ſubſellii ſit, nullam omnino dependentiam, et mutuam proportionem agnoſcit; ut adeo Theologiam in Philoſophia, aut Philoſophiam in Theologia indagare nil aliud ſit: quam *quærere vivos inter mortuos*, *aut mortuos inter vivos* (*). Neque arguendum eſt, adeo conſpicuum virum, aut ex præiudicata opinione, aut immoderata ſui complacentia id auſum fuiſſe profari absque ſanæ rationis argumento. Probe etenim illuſtri Viro perſpectum erat: ad veritatem myſteriorum fidei penetrandam fruſtra adhiberi argutias ſophiſticas, aut ſenſuum criteria, cum potius intellectum in obſequium fidei captivari oportet: et inſuper ipſa *fides*, qua creditur ad iuſtitiam, *non habet meritum*, *cui ratio humana præbet experimentum.* Altioris profecto indaginis eſt Theologia, quæ utpote circa veritatem revelatam occupatur, cuius dein arcana ſcholaſticis diſceptatiunculis, ac conjecturis rimari, nil aliud eſt, quam curioſe nimis in omnipotentiam divinam intendere, imo impie ſacra profanis commiſcere, haud aliter ac olim Nadab et Abiu ignem alienum, ac impurum ſacris oblationibus adhibuerunt.

Nec ab hac opinione alienum eſſe legimus celeberrimum Mabillonium; cum et ipſe fatetur (**): quod per temerariam hanc Philoſophiæ cum Theologia commiſtionem, Scholaſtici integram Theologiæ faciem nedum frivolis quæſitis miſerum in modum deturparunt, ſed et theologicos diſcurſus pene omiſerunt, alios eorum loco ſubrogantes, ſæpe numero irriden-

(*) De Augment. Scient. l. IX. c. I.
(**) In Tract. de ſtud. Monaſt. P. II. C. VI.

ridendos, utpote pueriles, nugatorios, et almæ Religionis, quam profitemur, „ incongruos. Insuper a tra- „ Majestati
ditione ipsa, ex nimia philosophandi libidine, multoties declinarunt. Inter ipsos autem celebriori censebantur nomine, qui sophistica invicem cavillandi arte præstabant. Eodem prorsus tenore Cl. e S. I. P. Gautier conqueritur, dum ait (*): Theologos Philosophia abusos fuisse, cum *sophismatis, aut inanibus argutiis dialecticis Theologiæ maiestate indignis sacra fidei mysteria non tam explanare, quam obscurare conati sunt: imo defecerunt etiam ad quæstiones prorsus inutiles, frivolas, et sæpe ridiculas, quibus totam fere suæ pseudo-scholasticæ summam confecerunt.* quin imo Philosophiam non sine magno S. Fidei damno Theologiæ connexam fuisse dolenter reprehendit insignis notæ Theologus, ac magnum sui temporis eruditionis sydus Melchior Canus (**). *Egit ergo diabolus*, infit, *quod sine lacrymis non queo dicere, ut, quo tempore adversus ingruentes ex Germania hæreses oportebat scholæ Theologos optimis esse armis instructos, ea nulla prorsus haberent nisi arundines longas, arma videlicet levia puerorum: ita irrisi sunt a plerisque, et merito irrisi, quoniam veræ Theologiæ solidam effigiem nullam tenebant.* Theologiam enim ingressi, *non Theologiam, sed fumum Theologiæ sequebantur.* En fructus egregios e clandestino Theologiæ cum scholastica Philosophia connubio exortos!

De ancillari Philosophiæ erga Theologiam obsequio quid aliis videatur, luculenter nobis suppeditat profundæ doctrinæ vir Udalricus Weis Benedictinus Ursinensis, qui in edito præstantissimo libro *de emendatione intellectus humani* hunc in modum differit (***). „Passim

(*) In Prodrom. Theol.

(**) l. 9. de locis theol. c. I.

(***) P. II. Sect. IV. C. XIX. §. CCCCXXXI.

„Philoſophiam univerſam aiunt (*Scholaſtici*) Theolo-
„giæ eſſe vernam, et ancillam, ſed aiunt: et neſcio quid
„illud ſit, ob quod Philoſophia tam abiecto nomine
„compellari digna ſit; nec enim, quod aliquando ve-
„ritatibus ſacris pollicem premat, et ſuccinat, eo obſe-
„quio in ancillæ ſortem redigi meretur, cum et viciſſim
„revelatæ veritates aliquando facem, lumenque Philo-
„ſophiæ præferant; ſiquidem ſi hoc ſuis placitis Theo-
„logiam revera contradicere videat, ſe in opinione ſua
„aberraſſe, ſententiamque ſuam etiam philoſophice fal-
„ſam, et adeo corrigendam eſſe Philoſophia convinci-
„tur. Præterea, niſi quod Philoſophia rationalis, hoc
„eſt, Philoſophiæ pars intellectum inſtruat, quomodo
„in cuiusvis veritatis vel monſtrandæ, ſi reperta iam
„ſit, vel inquirendæ, ſi etiamnum lateat, examine pro-
„cedendum, quam inſtructionem et ipſa Theologia in
„ſuos convertit uſus, et adhibet, alia principia, quæ
„Theologia a Philoſophia emutuet, neſcio; cum longe
„alterius ordinis ſint Theologiæ, quam Philoſophiæ
„principia. An vero modum progrediendi in quavis
„veri meditatione præſcribere, ancillari ſit? et ſi hoc
„ancillari ſit, Philoſophiam rationalem non unius Theo-
„logiæ, ſed reliquarum omnium ſcientiarum ancillam
„dici oportuit. Theologiam quoque ſæpius obſequiis
„egere Philoſophiæ compertum eſt, quam vice verſa:
„non vero omnia obſequia, et officia ſunt ſervitia. Phi-
„loſophia moralis (*ſeu Ethica*) ſi ea docet, quæ reſpon-
„dent, et conſona ſunt Theologiæ morum, non ideo
„docet, ut velificetur, aduletur, aut ancilletur Theo-
„logiæ, ſed quia ea veriſſima ſunt; unde Philoſophiæ
„per accidens eſt, quod Theologia morum doctrinam
„moralis Philoſophiæ aptam inveniat, qua ſua dogmata
„aut confirmet, aut cui ſuam doctrinam ſuperſtruat;
„fundamentum autem ancillari ædificio audivi nunquam.
„Forte quia Theologia nobilior longe ſcientia eſt, quam

Philo-

„Philoſophia, ideo hæc ipſius ancilla ſalutatur? - - -
„minime gentium: et ſi aliquando hæc illi ſententias
„ſuas attemperet, non ſtudio ancillandi id facit, ſed ne
„ipſa Philoſophia falſum dicat, et erret, cum noverit,
„quod theologice verum eſt, falſum philoſophice eſſe
„non poſſe. Etſi quondam difficile nimium problema
„Philoſophiæ occurrat, quod ſolvendo ſuo marte non
„ſit, gaudet a Theologia ſaltem certior, ſecuriorque red-
„di veritatis, etiamſi cur verum quid? neſciat, nec a
„Theologia aliter niſi authoritate verum eſſe convinca-
„tur. Nempe hæc Philoſophiæ ancillaris ſervitus po-
„tiſſimum præiudicio nititur ex miſera Philoſophiæ cum
„Theologia confuſione enato? hac in Philoſophia Theo-
„logi, et in Theologia Philoſophi eſſe cogimur. In
„ſcholis Philoſophia ancillari cogitur Theologiæ, qua præ-
„poſtero utramque concordandi ſtudio plus quam ſyn-
„cretico ſæpe ex iis, quæ ſupra naturæ vires ſunt, et
„non niſi miracula potentiæ natura ſuperioris, ad natu-
„ram concludunt, qua prodigia gratiæ in tantum phi-
„loſophandi materiam faciunt, quatenus philoſophicam
„illorum rationem reddere temerarii illi contendunt, ſed
„potiſſimum inanem, plerumque vocabulariam. E. g.
„*fide certum ſit divina corpus Chriſti ſub diverſis hoſtiis*
„*idem numero realiter coram eſſe; ergo in Philoſophia do-*
„*cent penetrationem, replicationem, accidentium ſine ſub-*
„*iecto exſiſtentium eſſe poſſibilem, et in id ratiunculas Phi-*
„*loſophicas exquirunt, quamvis revera miſerabiles. Quid*
„*de relationibus, ſubſiſtentiis divinis ad humanas? quid de*
„*perſonarum divinarum origine ad cognitionem, et vo-*
„*luntatem humanam concludere liceat?* et cetera ſex-
„centa, ubi vix aliquando circuli vitium declinant:
„cum ob theologica dogmata primo ſic philoſophentur,
„mox philoſophumena ſua in probationem theologicam
„adhibeant, hoc eſt, *philoſophicam opinionem ſuam theo-*
„*logicam, mox eamdem theologicam per philoſophicam con-*

„*fir-*

„*firment.* - - - quo verius fit, ut non iam Philoſophia „Theologiæ, ſed Theologia Philoſophiæ ſervire, et „ancillari cogatur. Recidantur ex Philoſophia illa, quæ „philoſophica non ſunt, repurgetur Theologia philoſo- „phicis, et metaphyſicis, præiudicium de Philoſophia „ancillante ſponte evaneſcet: ſimili præiudicio nititur „obtentus ille, quo ſtertorem ſuum, et veternum pal- „liant, et excuſant, dum cordatius philoſophari ad- „monentur, invitanturque: tum enimvero ſi alioquin „ad incitas redactos ſe vident, eo effugio elabi ſtudent, „quod in ordine ad Theologiam, antiquo tamen, et me- „rito antiquando illo more philoſophari oporteat. ſed „falluntur miſere in ſuppoſito, quaſi vero et more ve- „teri (ſit verbo venia) foret theologizandum; inſtrua- „tur, et inſtauretur genuina Theologiæ facies, tum vi- „debunt, quousque, et quibus uſibus Theologiæ Phi- „loſophia ſit futura.

Acribus profecto verbis inſignis hic Author Philoſophiam a ſervitute ancillari liberam vindicat: Ego tamen mea ex parte, ne in reverentiam literatæ vetuſtatis peccare videar, mediam quodammodo ſemitam apprehendo, et aio: Theologiam ſcholaſticam cum Philoſophia æque ſcholaſtica, facta ſemel utriusque permiſtione, connexam, et, cum ſcientia naturalis ad ſcientiam ſupernaturalem comparata inferioris longe ordinis ſit, ideo Philoſophiam Theologiæ ſubiectam fuiſſe. de quo nexu forſan, et ſubiectione altefata Synodus Lateranenſis intelligenda eſſet, cum illa ætate non alia niſi Theologia et Philoſophia methodo ſcholaſtica traducta circumferebatur. At vero poſtquam utriusque huius ſcientiæ inutilitas deprehenſa, et ipſa Theoſophia a ſcholaſticis ſpeculationibus percolata, primævoque ſplendori reddita eſt: deſiit iſte nexus, et ancillaris ſervitus ſublata eſt, niſi in tantum, in quantum ipſa Philo-

Philoſophia ad capeſſendas altiores ſcientiarum diſciplinas neceſſaria eſſe noſcitur ; aut circa idem obiectum verſatur, quod Theologia ope ſupernaturalis revelationis, Philoſophia vero opitulante cognitione naturali attingit. ſic moderna literarum ætate poſitiones *dogmaticæ*, *hiſtorico - criticæ*, et *morales* univerſam pene Theoſophiæ materiam efficiunt. dogmata igitur quod attinet, ea non ratione naturali, ſed ex revelatione, traditione, et eccleſiaſticæ diſciplinæ uſu conſolidanda ſunt. quodſi vero contigerit, quosdam hæreticos confutandos eſſe, qui quoddam fidei dogma dialecticis Logogryphis ex abuſu nimirum Philoſophiæ divexarunt, opportunum erit ad regulas dialecticas confugere, ex quibus illico palam erit, fruſtra peti ex ratione naturali argumentum contra veritatem ſupernaturalem. probe tamen cavendum eſt, ne, dum ſophiſmata eliduntur, nova denuo cudantur (*). Quæſtiones hiſtorico - criticas præſertim *facti* per regulas artis criticæ, et Hermeneuticæ, quas Dialectica non quidem ſcholaſtica, ſed ad genium præſentis ſeculi efformata abunde ſubminiſtrat, diſcutiendas eſſe quilibet ſapit, et capit. Poſitionibus moralibus elucidandis Philoſophia moralis ſuppetias ferre valet, qua doctrina, ſi rite ad formandam voluntatem inſtituatur, nihil in hominum mores, uſumque vitæ communis potentius, præſtantiusve eſt. Atque hac ratione liquet, qualis demum ſit ille nexus, qualisque ſubiectio Theologiam inter, et Philoſophiam.

 reve-

(*) Contra cautellam hanc præcipue peccant Scholaſtici, ut patet in famoſa altercatione *de Accidentibus abſolutis*. quamprimum enim cognoverunt S. Synodum Conſtantienſem contra Wiclefum definiiſſe: *manere accidentia panis, non tamen eorum ſubiectum.* illico mentem Concilii ad accidentia in ſenſu peripatetico ſumta reduxerunt, et profanis manibus in myſterium involarunt, quod adorandum potius, quam ſcrutandum eſt.

revera etenim ex eo, quod Theologia quædam principia, et non nullas regulas ex Philoſophia mutuas recipiat, plus non ſequitur, quam, quod una ſcientia alteri amica obſequia miniſtrare valeat; quemadmodum in præſenti providentia Philoſophi de Matheſi, et præprimis Geometria fatentur, et experimento didicerunt. Porro ſi tam Philoſophia, quam Theologia circa idem obiectum occupantur, id methodo cuivis ſcientiæ propria contingat, oportet. Extra ſphæram enim activitatis ſuæ rapitur Scientia naturalis, ſi veritatem quamdam ob ſolam revelationem divinam credibilem magis, quam cognoſcibilem contemplari cogitur; utpote cui non niſi lumen rationis naturalis, aut ſenſuum criteria in promtu ſunt. Quæcunque autem utroque hoc medio attingi nequeunt, ad altius, ſanctiusque forum pertinere, neque amplius inter obiecta cognitionis humanæ referri debent. ſic, ut rem exemplo declarem: *DEUM exſiſtere, Eumque eſſe unum, et in omni perfectionis linea infinitum.* Sincerus Philoſophus neutiquam ex SS. paginis, aut PP. effatis demonſtrat, ſed illico ad lumen rationis, ad abſtractiones metaphyſicas convertitur, et deprehenſa inſufficientia Entium contingentium ad exſiſtendum per ſe, protinus infert: dari Ens quoddam neceſſarium, quod ſibi, ceterisque entibus contingentibus ad tribuendam exſiſtentiam omnino ſufficit. Hoc autem ens DEUS eſt, qui niſi infinite iterum perfectus foret, DEUS non eſſet: cum ens longe perfectius, quod nimirum infinite perfectum eſſet, denuo excogitari poſſet. Quodſi DEUS ens infinite perfectum eſt, Unus ſit, oportet: cum æqualem ſibi habere, infinitudinem perfectionis tollit, et potius imperfectionem arguit. En! qua ratione Philoſophia de obiecto etiam Theologiæ proprio diſcurrit, quin ad rationem ſupernaturalem recurrat. At vero, ſi ceptum diſcurſum ulterius promoventes inquirimus: *An DEus exſiſtens Tri-unus quoque ſit?* extemplo hæret ratio, ſenſus-

ſusque deficiunt manifeſto indicio, rem omnem myſterio involvi, ac vires intellectus creati longiſſime tranſcendere, et vel ideo ad forum philoſophicum nulla ratione pertinere (*).

Reſcindantur itaque a Philoſophia ſimiles ſpuriæ quæſtiones, quas plerumque Scholaſtici inſipida curioſitate ſcientiis naturalibus invexere, abſtergantur a frontibus cum Theologiæ, tum Philoſophiæ fuci ſcholaſtici, et illico ſincera utriusque facies, ac genuina indoles apparebit, et longe diverſo nexu easdem ſcientias inter ſe colligari deprehendemus.

Singula quæque locum teneant ſortita decenter (**),

nempe, quæ vere philoſophica ſunt, tractentur philoſophice; in iis autem, ubi naturalis ratio deeſt, ſed ſolius revelationis, aut traditionis, aut eccleſiaſticæ definitionis ratio habenda eſt, philoſophari temerarium, imo impium voco: fruſtra enim alias intellectum captivari oporteret in obſequium fidei.

Verum perbene adverto, Scholaſticos denuo confugere ad laudatum ſupra Lateranenſe Concilium, ex quo luculenter inferre tentant: dari materiam philoſophicam cum veritatibus revelatis connexam, cum illud in citata Seſſione VIII. omnibus & ſingulis Philoſophis in univerſitatibus ſtudiorum generalium, et alibi publice legentibus diſtricte præcipiendo mandavit: *ut, cum Philoſophorum principia, aut concluſiones, in quibus a vera fide deviare noſcuntur, auditoribus ſuis legerint, ſeu*

 expla-

(*) Tentarunt equidem Lulliſtæ altiſſimum hoc myſterium ratione naturali demonſtrare. At quam futilia corraſerint argumenta, vel ex eo claret, quod manifeſte ſemper ſupponant id, quod in quæſtione eſt.

(**) Horat. in Arte poët.

explanaverint, quale hoc est de animæ mortalitate, aut unitate, aut mundi æternitate, ac alia huiusmodi, teneantur eisdem veritatem Religionis Christianæ omni conatu manifestam facere, et persuadendo pro posse docere, ac omni studio huiusmodi Philosophorum argumenta (prout videlicet illa ætate non nulli licentius, quam verius argutabantur) *cum omnia solubilia existant, pro viribus excludere, atque resolvere.* Laudabilis profecto fuit in hoc negotio S. Matris Ecclesiæ solicitudo, et rationabilis providentia. Fontem tamen solicitudinis huius, et providentiæ non pauci Neoterici ex eo deducere tentant: quod illo temporum curriculo ubivis fere locorum secta Philosophorum non minus, ac Theologorum Scholastica imperitaret: cumque Philosophis scholasticis illius temporis impune permissum esset, quæstiones theologicas eodem fere modo discutere, prout etiam scholastici Theologi res philosophicas examinare solerent; imo et ipsi Patres in illa S. Synodo congregati iisdem vel maxime Scholasticorum principiis prævie imbuti essent, inde factum esse arbitrantur: ut Ecclesia receptæ iamiam assuetudini morem gerens, ob plenitudinem potestatis rectam, quoque rationem in subsidium vocaret ad profliganda tam immania errorum monstra. eo autem tempore publice creditum fuit, *rectam rationem, et Philosophiam Aristotelicam unam eamdemque rem esse* (*). quod ipsum patere videtur ex oppositis in eadem sessione, circa eamdem materiam exceptionibus D. Nicolai Episcopi Bergomensis, et R. D. P. Thomæ Generalis Ord. Prædicat. (**) in dicta enim sessione D. Joannes Archiepiscopus Gneznensis orator Regis Poloniæ ascendit ambonem, & legit quamdam schedulam super fide, et hæc continebat Bullam, quæ incipit *Apostolici*

(*) Ita nunquam satis laudandus Anton. Genuen. T. II. Element. Metaph. in Procœmio n. XXI.

(**) vide Acta Concil. T. IX.

ſtolici Regiminis &c. „Qua perlecta, petiit, an place-
„rent Paternitatibus ſuis contenta in ſchedula. Et omnes
„reſponderunt ſimpliciter placere, excepto Reverendo
„Patre Domino Nicolao Epiſcopo Bergomenſi, qui dixit:
„quod non placebat ſibi, quod Theologi imponerent
„Philoſophis diſputantibus de veritate intellectus, tam-
„quam de materia poſita de mente Ariſtotelis, quam ſi-
„bi imponit Averrois, licet ſecundum veritatem talis
„opinio falſa eſt. Et Reverendus Dominus Pater Tho-
„mas Generalis Ordinis Prædicatorum dixit: quod non
„placet ſecunda pars Bullæ, præcipiens Philoſophis, ut
„publice perſuadendo doceant veritatem fidei.

Verumtamen modus iſte Eccleſiæ mentem interpretandi in debitam reverentiam peccare videtur; cum facili brachio inde inferri poſſet: ad dogma fidei ſtabiliendum nec revelationem divinam, nec definitionem eccleſiaſticam ſufficere, ſed inſuper rationem naturalem æqua lance adhibendam eſſe. has igitur cautes ut evitem, ego ſic exiſtimo: Illo procul dubio ævo exſtitere viri, qui rationem naturalem in Adæ filiis ſtulte ſupra revelationem extulere, ita, ut rectam rationem ſupremam normam credendorum, et non credendorum adſtruerent; quemadmodum contendit Author Anonymus libri *Philoſophia Scripturæ interpres.* ac cum aliis Deiſtis Anton. Collinus libello *de libertate cogitandi* (*). Horum itaque fanaticorum inſaniam ut Eccleſia ſupprimeret, non revelatione tantum agendum eſſe cenſuit, quam utique tales Philoſophaſtri rationi naturali poſtponunt, ſed hac ipſa quoque naturali ratione, telis nimirum ex ipſorum pharetra depromtis; ut oſtenderet, illorum deliria, et impia dogmata non ſolum revelationi divinæ, et traditioni eccleſiaſticæ refragari, ſed et ipſi

(*) De fatis infamis huius Philoſophi vide Chriſt. Gott. Jöcher allgemeines Gelehrten Lexicon T. I. Lit. C.

ipſi rationi naturali, de qua tamen adeo Thraſonice gloriantur : imo eam ipſam rationem naturalem interdum S. Fidei obiectis plus conferre vix poſſe, quam, quod ipſa revelatio de obiecto, et obiectum revelatum nec ſanæ rationi opponatur, neque implicantia quadam involvatur.

Atque hac ratione mentem Concilii fere ad literam ſalvari poſſe autumo, et Theologiam, cum Philoſophia amico fœdere conciliari. Theologia enim, quæ felicibus tandem auſpiciis a fermento Scholaſticorum depurata in omnibus fere athenæis literariis, ac regularibus ſodalitiis obtinet, dogmata ſua non niſi ex legitimis fontibus derivat : nimirum ex revelatione divina, Patrum traditione, et infallibili Eccleſiæ, ſummorumque Pontificum definitione, queis fontibus rationem quoque naturalem adiungit. Hac opitulante profundiſſima fidei myſteria perſpicaciæ quidem intellectus humani impervia, per ſe tamen non repugnare deprehendit; ea prælucente agnoſcit non ſolum revelationem, traditionem, aut definitionem quamdam exſiſtere, ſed certior inſimul redditur de qualitate revelantis, tradentis, et definientis, de occaſione, ac circumſtantiis, revelationis, traditionis, et definitionis &c. atque inde tandem eruitur : mentes fidelium ſinceris, ac rationabilibus motivis impelli ad præſtandum aſſenſum S. Fidei, et dogmatis theologicis. ſic denique in eiusmodi negotio naturali ratione uti, eſt philoſophari in Theologia (*), et ſic philoſophari,

(*) Eiusdem mentis iterum eſſe legitur Ant. Genuen. in citato ſuperius proœmio, ubi n. XIII. ait: „quum „nemo inducitur ad divinam revelationem acceptandam ſine *motivis* quibusdam, quæ Theologi *motiva credibilitatis* appellare conſueverunt; hæc quoque „motiva ratio primum hominibus ſuppeditavit, id „quod magna conſenſione Theologi omnes docuere.

phari, eſt utramque ſcientiam naturalem, & ſupernaturalem amico, non ancillari connecti vinculo,

- - - - - - alterius ſic
altera poſcit opem, — et coniurat amice (*).

Ut autem naturalis ratio Theoſophiæ opportuna miniſteria propinare valeat, diſciplinis philoſophicis, ac præprimis Dialecticis, Metaphyſicis ac Ethicis eam dirigi oportet. Dialecticæ autem nomine non intelligo mechanicum ratiociniorum apparatum, cui adeo officioſe Scholaſtici inſudarunt, ſed artem illam, ac præcepta, quæ nos ad ſtatuendas nativas rerum notiones perducunt, has legitimis terminis exprimere, expreſſas ſedula compa-
ratione aut conferre, aut ſeparare, atque ita diiudicare, diiudicatas vero aliis communicare edocent. Verbo, talem ſcientiam indigito, quæ non ſolum idonea ad veritatem penetrandi media, ſed et firmas temperatæ criticæ regulas ſuppeditat ad verum a falſo legitime diſcernendum. Dialecticæ, ſeu Logicæ haud diſpari ratione adnumeranda eſt Metaphyſica; ſed non illa, quæ ieiunas, inutiles, et chymericas prorſus quæſtiones complectitur, qualem denuo Scholaſticis familiarem fuiſſe novimus, longe utilius autem Principia, generalesque rerum notiones, velut cognitionum noſtrarum baſes, ac fundamenta ſubminiſtrat. Utrique huic ſcientiæ ea ratione in nitidiorem ordinem redactæ Ethicam quoque ſi addiderimus, profecto Philoſophiæ ſtudium in ſingulis Aſceteriis regularibus ad Theologiam præcipue, ac iurisprudentiam ſeu canonicam, ſeu civilem perutile, imo et neceſſarium fore manifeſte liquet. illam e diverſo Scholaſticorum, vel magis Arabum inſipidam philoſophandi methodum, præterea quod inutilis ſit, et his, et aliis ſcientiis noxiam potius eſſe, quilibet eo facilius penetra-

(*) Horat. de arte poëtica.

netrabit, quo adcuratius Scholaſtici Peripati indolem vitio magis Ariſtotelicorum, quam ipſius Ariſtotelis depravatam perſpectam habuerit.

Hæc itaque Philoſophiæ cum eclecticæ, tum ſcholaſticæ viciſſitudines, ac momenta poſtquam ſeria, & a præiudiciis libera mente, quantum pro tenuitate meæ valeo, in periculum vocaveram; ea tandem me induxere: ut diſciplinas philoſophicas (quarum neceſſitudinem ab exordio præſentis diſſertationis fixam, ratamque comprobavi) in ſodalitiis Monaſticis ſeu temporum iniuria collapſas de novo reſtituendas, ſeu Pſeudophiloſophorum affectata inſcitia, et ſupina negligentia miſere deformatas ab ovo usque ad malum reformandas iudicarem. Tollatur ergo inveterata quorumdam Monachorum pertinacia, qui ſcientiam adeo præſtantem, artem tam liberalem Scholaſticorum *Pædanteriæ* velut turpe mancipium ſubiecere, ubi ratio, nobiliſſima utique mentis humanæ facultas nil niſi ſteriles Logomachias, inſulſas hypotheſes, ac litigia vocabularia, quæ mentem a vero, verique ſtudio avertunt, et ad fabulas convertunt, triturare, et diſcutere cogitur. Reſtituatur inclytæ huic ſcientiæ naturali ſobria ſentiendi libertas, quæ ductui ſanæ rationis, ac ſenſuum experientiæ ſubordinata eſt, et extemplo apparebit: diſciplinas philoſophicas non ſolum priſtino nitori redditas, ſed vel maxime ad veritatem inveſtigandam, aut conſolidandam, et utilitatem inde procurandam, vel promovendam (is enim omnis Philoſophiæ finis eſſe debet) ſumme proficuas, imo neceſſarias eſſe: et vel ideo S. fidei, aut Religioni nulla ratione refragari. cum nec dogma revelatum naturali rationi, nec ratio naturalis revelato dogmati opponatur, ut omnes Theoſophi vetuſtiores, una et moderni adverſus Robertum Olchot Anglum, veterisque ſcholæ Theologum (*) ingenue fatentur.

Ad

(*) Ita Franc. Ferrarienſis ad l. I. contra Gent. c. 8. apud Anton. Genuen. T. II. in Proœmio n. XII.

Ad hanc proin œconomiam ſtudia philoſophica in ſodalitiis monaſticis inſtituenda eſſe arbitror, et ad hanc cynoſuram ipſus ego vela facere contendo. ſed ne ſolus ego ex mera novaturiendi libidine in morem hodiernorum (Petit Maitres) ſciolorum ſapere videar, et in prolixam Scholaſticorum barbam plus quam profanis manibus involaſſe arguar, ipſiſſimum monaſticorum ſtudiorum Zelotem Joannem Mabillonium a mente mea nullatenus alienum eſſe commonſtrabo. Me Caſtor! Vir ille literatiſſimus in Tractatu tot vicibus laudato de ſtudiis monaſticis, non ſolum propoſitum de reformandis diſciplinis philoſophicis impenſe dilaudat, quin et media inſuper, ordinemque ſubminiſtrat, quo attentata reformatio effectui queat mancipari (*). Poſtquam enim non ſolum de neceſſitate ſtudiorum in Clauſtris regularibus, ſed præprimis ſtudii philoſophici longa rationum ſerie diſſeruiſſet, tandem ut inſimul caveret, ne ſcientiæ naturales monachorum præſertim iuniorum mentes profanas nimis, et curioſas reddant: ex ſingulis Philoſophiæ partibus *Dialecticam*, *Metaphyſicam*, et *Ethicam*, Monachis abunde ſufficere arbitratur, ut ad ſcripturarum intelligentiam, Patrum Lectionem, verbo demum ad theologicum ſtudium dirigantur, et diſponantur; ſunt enim iſta præcipuus ſcopus, ad quem ſcientia philoſophica in Aſceteriis collimare debet. Porro ut enumeratæ Philoſophiæ partes utiliter, et absque ſcholaſticis quisquiliis proponantur, Dialecticam ea methodo diſponendam eſſe monet, quæ „veri, falſi, affir„mationis, negationis, erroris, ac dubii ideas intra „nos gignat. inprimis autem ideam illationis, et conſe„quentiæ, unde ſcilicet percipimus determinatam ali„quam enunciationem ex alia ſequi: item ſyllogiſmum „ali-

(*) Quæ hic conſequuntur, fuſius quilibet deprehendet in citato Tractatu P. II. C. IX. ubi ſingulariter de ſtudio philoſophico differit citatus Author.

„aliquem apte concludere, ſecus vero alium. Ceterum „quælibet alia logicalis controverſia huc non ſpectans „ſupprimenda eſt veluti futilis, et ſupervacua. Enim- „vero quid prodeſt e. g. tam acriter, et fuſe de Logicæ „obiecto diſputare? quid inquirere, utrum illud ſint en- „tia rationis, an termini, qui ſunt eorum notæ, ac „ſigna, eoquod de utrisque dialectica pertractet? rur- „ſus, quid ſcire iuvat, num univerſale fiat dependen- „ter ab intellectu? an univerſale genericum, vel ſal- „tem ſpecificum revera exiſtat ex natura rei? an den- „tur entia rationis? an DEUS ſit ſub prædicamento „ſubſtantiæ? Pluraque id genus alia in æquivocis ple- „rumque tantum conſiſtentia, quæve paucis verbis poſ- „ſent expendi, æquivoca explanando, vel rationes „hinc inde mere innuendo, ſi forte id etiam fieri ex- „pediat. - - - - Logica igitur utendum eſt, ut ad re- „cte concipiendum, ac ratiocinandum exerceamur, et „ut inde dirigatur noſter intellectus, non vero ut vi- tietur.„ Ex quibus verbis manifeſtum profecto reddi- tur: Logicam, ſeu Dialecticam non tantum ad veri- tatem aliunde cognitam ordinate diſponendam, ſed ad eam ipſam inſuper inveniendam dirigi; quem finem an- tiquiores Scholaſtici turpiter neglexerunt. quod dudum conqueſtus eſt Franc. Baco (*), cum Logicam illorum ad inventionem ſcientiarum inutilem, quin ad ſtabili- endos, et figendos errores potius, quam ad inquiſitio- nem veritatis valere, ſatis candide profitetur. Longe utilius igitur Religioſus Philoſophus circa Dialecticam occupabitur, ſi primo loco in rei veritatem inquirere tentat per notas mentis humanæ operationes, queis in- primis rerum ideas effingimus, terminis exprimimus, et tandem plures ideas inter ſe conferentes diiudicamus: atque ne in iudiciis noſtris a ſemita veri deflectamus, per ſobrias criticæ regulas horum iudiciorum momen-

ta

(*) In novo Organo Aphoris. XI. et XII.

ta exploramus. ſtabilita dein Dialecticæ parte quaſi *Theoretica*, ad *practicam* diverti pronum erit, per quam cognitam, et adinventam ſemel veritatem (ſiqua haberi poteſt) certa methodo, ſeu *mathematica*, ſeu *ſyllogiſtica*, vel, ut ex infra ſubiiciendis inclareſcet, *mixta*, non ſolum aliis ſuccincte proponere, ſed et communicare addiſcamus (*). Hac tandem ratione nullus profecto inficias ibit: *Logicam eſſe artem recte utendi ratione humana ad veritatem cognoſcendam, et oratione ad illam aliis explicandam* (**).

De Metaphyſica Laudatus Mabillonius pariter aſſerit: eam Logicæ multum affinem eſſe, et non niſi prima rerum principia pro obiecto reſpicere, quæ omnium fere noſtrarum cognitionum Baſes ſunt, et Fundamenta. Hanc quoque ſcientiam a fæcibus ſcholaſticis ſimiliter purgandam eſſe vel obvius deprehendet. obiecta igitur ſcientiæ huic propria dicuntur eſſe res ab omni concretione materiali, et corporea abſtractæ: talis autem rerum abſtractio, et præciſio vel a virtute ingenita humani intellectus, aut ab ipſa pariter rerum natura oritur. ut adeo hæc ipſa ſcientia in *generalem*, et *ſpecialem* diſpeſci queat. Generalem diſtribuendam eſſe iterum in *Ontologiam*, & *Ætiologiam* arbitror: quarum prior Entium notionem, naturam, et affectiones tum-in-tum extrinſecas pertractat: poſterior vero enti-

 um

(*) In qua providentia neutiquam reprehendere attento diviſionem idearum, terminorum, eorumque diverſam uſurpationem, quam non nulli antiquo-novi Philoſophi adornarunt. imo eam ſcitu illis neceſſariam fore duco, qui methodo aut pure, aut mixte ſyllogiſtica, qualem ipſus profiteor, uti velint. nam ubi plura nitent, cur ego paucis offendar?

(**) Ita Cl. P. Donatus a transfiguratione Domini definit Logicam C.I. Prooemii, ſeu Enarrationis hiſtoricæ in Logicam.

um cauſſas, et originem diſquirit, ex utraque vero non ſolum univerſales rerum ideas, ſed adeo ſincera eruimus principia, ac axiomata, ut ab erroris periculo immunes rite nos cogitaſſe, aut iudicaſſe cognoſcamus, et cognita pari menſura aliis clara reddere valeamus. ſincerus enim Metaphyſicus non ex ſterilibus vocabulis, aut levibus coniecturis veritatem rerum diſcutit, ſed rem prius in naturæ tenebris deliteſcentem ope abſtractionis, ſeu præciſionis mentalis intellectui noſtro magis cognoſcibilem efficit, cum

Non fumum ex fulgore, ſed ex fumo dare lucem cogitat, (*) - - - - -

ſpecialis Metaphyſica ſolam fere *Pnevmatologiam* ſeu doctrinam de ſpiritibus complectitur. hos enim ipſa natura iamiam ultra entia corporea elevat, et ab omni concretione materiali abſtrahit; cum ſpiritus nomine intelligitur *ſubſtantia intellectu, et voluntate prædita,* quas tamen potentias, ſeu facultates rudi materiæ convenire poſſe, nullus certe audebit aſſerere; niſi cum Hobbeſio, Cowardo aliisque Materialiſtis et ſacra, et profana anathematis fulmina in caput ſuum provocare tentaverit. Præſtantiam, et neceſſitudinem Pnevmatologiæ commendare videtur nobilitas obiectorum circa quæ ſcientia hæc occupari conſuevit. de DEO nimirum, de Angelicis ſpiritibus, de anima hominis et bruti diſſerit hæc ſcientia; cum quatuor ſpirituum genera nota ſunt. - - Pecoris, Noſter, Angelicus, et qui condidit iſtos (**). Atque ob hanc obiectorum varietatem Pnevmatologia rite diſtribuitur in *Theologiam naturalem, Dæmonologiam, Pſychologiam*, et *Zoologiam*. Hanc poſteriorem doctrinæ de ſpiritibus adnumerandam quoque cenſeo; cum non deſunt præſenti ætate Viri et pie-

(*) Horat. in Arte poëtica.

(**) S. P. Bernardus in ſerm. 5. ſuper Cant.

pietate, et doctrina valde conſpicui, qui perpenſa operationum analogia, qua nobiſcum bruta utuntur, eorum animas vere ſpirituales eſſe inferunt, licet ab Authore naturæ eas ad finem pariter ſupernaturalem elevatas eſſe non conſtet. alii e diverſo tales animas non quidem ſpirituales, ſed neque materiales, bene tamen mediam veluti inter materiam, et ſpiritum ſubſtantiam eſſe contendunt. Cuinam parti ego pro imbecillitate mentis meæ accedam, inferius patebit. Inter omnes has Pnevmatologiæ partes ſumma ſolicitudine pertractandam arbitror Theologiam cum Pſychologia (Dæmonologiam enim, ſi angelicorum ſpirituum exſiſtentiam, et eas excipiamus facultates, quibus ii ob analogiam cum mentibus humanis pollere videntur, plurimis hinc inde conjecturis involutam eſſe novimus) (*): in his videlicet naturalis ratio ad conſolidandam veritatem ſupernaturalem præprimis concurrit. Firmiſſimi enim cardines et veluti Religionis Chriſtianæ baſes ſunt DEI tanquam entis perfectiſſimi exſiſtentia, et mentis humanæ immortalitas, quibus omnem morigeræ vitæ normam ringentibus fruſtra Atheis, Deiſtis, et Libertinis inniti cognoſcimus. Atqui utramque hanc provinciam ſtrenue propugnandam ſuſcipit Theologia naturalis, et Pſychologia: quarum prior DEI exſiſten-

 tiam

(*) Hinc bene advertit Cl. Joannes Clericus Pnevmat. Sect. II. C. III. *Hic ſola ratio in veritate inquirenda nos nequaquam iuvat, agitur enim de naturis, quas expendere non poſſumus, quoniam cum iis verſari nobis non licet, quidquid de iis novimus, pendet ex narratione eorum, qui Angelorum obſervarunt miniſteria.* Quid vero ex talismodi narrationibus erui poſſit, is ipſus Author C. I. huius ſect. oſtendit. nempe 1mo *Angelos eſſe mentes ab humanis diſtinctas:* 2do *eas DEO miniſtrare:* 3tio *Corporibus, ſub humana ſpecie, interdum indutas apparuiſſe:* 4to *Ne corpora illa noſtris plane ſimilia ſuſpicaremur, ea ſubito ex adſpicientium conſpectu ablata, et cuilibet motui, ſeu aſcendendum, ſeu deſcendendum eſſet, apta fuiſſe.*

tiam moralibus, phyſicis, et metaphyſicis argumentis demonſtrat, Eiusdem perfectiones limitibus nullis circumſcriptas declarat: imo et Religionis cultum non ſolum a naturali lumine, ſed et ipſa revelatione præſcriptum exhiberi præcipit. Poſterior vero mentem humanam a putridis Materialiſtarum ſordibus defæcatam ſolius DEI creatoris opus eſſe commonſtrat, illam omnis compoſitionis materialis expertem, et vel ideo nullius corruptionis, et per conſequens, nec mortalitatis capacem eſſe luculenter oſtendit. Id tamen ſedulo cavendum reor: ne Philoſophus, etiam Religioſus in tali negotio falcem in alienam demittat meſſem, ſi per decurſum utriusque huius ſcientiæ ea corradat argumenta, talesque diſcutiendas ſuſcipiat quæſtiunculas, quæ ad Theologos pertinent: cum hac ratione ſcientiæ naturalis, et ſupernaturalis ordinem ex integro pervertit. Enimvero ſanæ Philoſophiæ ſyſtema exigit, (quemadmodum huc usque monui) ut naturalis ratio intra eos terminos cohibeatur, quos ultra, citraque nequit pervagari, quin ſyſtematis proportio pereat. Sufficiat itaque Philoſopho ſimpliciter retuliſſe: hanc, aut illam materiam eſſe de fide, et ad fidem pertinere, adeoque, ſi fors naturalis ratio deficeret, ut plerumque in myſteriis Fidei fieri amat, Theologorum poſtea intereſt, ut ex locis domeſticis rei veritatem edoceant. quodſi tamen non nulla ſcientiæ naturalis axiomata ſupereſſent, quæ cum revelata veritate nulla ratione concilianda forent; Libethriis indoctior ſit, oportet, ſi illa non magis ad naturalia, quam ſupernaturalia dogmata adhibenda eſſe cognoſcat (*). Præter Pnevmatologiam addunt non pauci hodie diſciplinis metaphyſicis *Coſmologiam* quoque, ſeu doctrinam *Univerſi* aut *Mundi*.

(*) Bene inſuper advertit Cl. Canzius in Meditationibus philoſophicis C. XIX. §. 548. *Regulas philoſophicas revelationi opponendas non eſſe.*

Mundi. Ego tamen, cum in ea quam plurima contineri adverterem, quæ per meram intellectus præcisionem vix penetrari queant, quin adminicula phyſica adhibeantur, integram hanc Metaphyſicæ partem facta diſtributione legitima ad Phyſicam eſſe reiiciendam censeo, ſalva tamen meliori uniuscuiusque opinione. nam

Velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno (*).

Metaphyſicæ ſubiungit Mabillonius *Philoſophiam moralem*, ſeu *Ethicam.* de qua teſtatur Genuenſis (**): nulla ſtudia aut magis neceſſaria, aut magis utilia, aut magis iucunda, aut a Viris doctioribus maiori cum laude tractata eſſe, quam Ethicæ. Eſt enim Ethica quaſi ceterarum diſciplinarum fructus, et ſine qua reliquæ diſciplinæ pondus ſunt iners. Monet tamen inſuper altefatus Philoſophus, ſtudia hæc rite inſtituenda eſſe: nam ut recte ſuſcepta vitam, et ſocietatem ſervant, et beatam efficiunt, ita non recte inſtituta perturbant, atque evertunt, vel ut Vates Venuſinus legitur cecinisſe: Ethicæ ſtudium

Æque pauperibus prodeſt, locupletibus æque,
æque neglectum pueris, ſenibusque nocebit (***).

Ut autem hoc ipſum rite inſtituatur, præmittendam ſuadet is ipſus Author Phyſicam, Metaphyſicam, et Hiſtoriam humanam. atque eam ob rem ipſus eo inducor, ut Ethica primum poſt Phyſicam diſcutienda proponatur, ne congruis hæc ſcientia adminiculis deſtituatur. Ipſa quidem Ethica (ſeu multitudinem, ſeu gravitatem obiectorum conſideres) in latiſſimos campos extendenda eſſet, cum ea omnia officia declarat, quæ

(*) Perſius Sat. V.

(**) In Arte Logicocritica *l.* 2. c. 7.

(***) Horat. l. 1. Epiſt. 1. ad Mæcenatem.

nobis erga DEUM, noſmet ipſos, ac alios ſupplenda incumbunt. Verum cum non nulli aut temporis anguſtiis ab illa pro dignitate pertractanda præcludantur, vel etiam absque ſolicitudine prælegant tam ſalubria dogmata; inde factum fuiſſe arbitror, ut hæc Philoſophiæ pars pene per negligentiam aliorum interierit. Poſſet equidem tam ſupina ſcientiæ huius incuria per illorum ſolertiam emendari, et præcipue in conventibus regularibus, quibus Theologiæ moralis explanandæ provincia delata eſt (*): verum tamen cum et illi præcipue circa eas occupari ſolent materias, quæ conſcientiarum arbitris in promtu eſſe debent, hinc parum ſoliciti redduntur de eiusmodi doctrina morali inſiti luminis naturalis; atque ideo quaſi neglectis foribus et veſtibulo per feneſtras in medium Theologiæ moralis atrium irruunt. Aequi, bonique igitur ut conſulam, aliqua ſaltem Ethicæ adminicula ad ſubeundum Theologiæ moralis, ac iurisprudentiæ ſtudium Religioſis Philoſophis propinanda eſſe iudico: ac inprimis quidem proderit præmittere diſſertationem de natura hominis morali: de affectibus, et moribus, eorumque ſignis et characteribus, variisque corporis temperamentis, quæ

(*) Plurimum inſuper ad rem facere autumo, ſi Patres ſpirituales, tyrociniique religioſi Magiſtri (ut ipſe etiam Mabillonius monet) moralia quædam principia ſuggerant *de capiendo veræ emendationis conſilio: de ſui cognitione: de iugi lucta adverſus ſeditioſos affectus; de Heroicis virtutibus. &c. &c.* quibus non modicum pondus ſuperaddet inſtituti, ac Regulæ authoritas, cui ſeſe Familiæ ſacræ devoverunt. pari inſimul utilitate novellis Clericis inſinuari poſſunt Obligationes Fraternæ charitatis, mutuæ converſationis, ac denique omnis utilis, et decori ſtudium atque hac ratione veluti rudimenta quædam Philoſophiæ moralis mentibus tenellis inſeruntur. ſed manum de tabula, ne doctos docere velle videar.

quæ omnia Cl. Heineccius (*) ſuccincto ordine complectitur, et aptiſſima ſubminiſtrant media, per quæ quivis ad veram ſui cognitionem penetrare valet. Diſſertationi huic ſubiici dein meretur contemplatio ſummi Boni, tanquam ultimi finis in quem homo quilibet ex innato appetitu fertur, in quo etiam illius Beatitas tam naturalis, quam ſupernaturalis repoſita eſt. Hanc contemplationem peraccomode, excipit diſcuſſio mediorum, et actuum humanorum ad conſecutionem finis ultimi conducentium (**): ſtudioſe dein ſtabilienda eſt regula quædam rectitudinis, ſeu bonitatis, et malitiæ moralis humanorum actuum: in qua diſcuſſione ſingularem mentionem promeretur tot litibus infame *Juris naturæ Principium.* Pronum deinde erit breviter quædam commiſci de habitibus ſeu bonis, ſeu malis ex frequentatis actibus oriundis, ſive de virtutibus, et vitiis; quorum tamen amplior pertractatio Theologis relinquenda eſt. Ex recenſitis tandem Ethicæ principiis deducantur generales quædam regulæ, quæ hominem dirigant in officiis erga DEUM, ſemet ipſum, et proximum pro varia vitæ conditione (***). Atque hæc Ethicæ adminicula ad partem ſaltem ſufficere arbitror: fuſius autem qui hæc pertractare contendit, conſulat egregios Ethicos Pourchotium, Corſinum, Du Hamel, Heineccium, Genuenſem,

(*) Vide inclyti huius Viri *Elementa Philoſophiæ rationalis & moralis.*

(**) Ea tamen, quæ de actibus humanis, ac moralitatis regula pertractanda ſunt, curto calamo expediri poſſunt, cum Theologi morales easdem materias latius deducere ſolent; ut adeo tempus etiam perbreve Ethicis principiis ſufficere queat.

(***) Cum in præſentiarum ſyſtema philoſophicum non niſi Monachis intra ſepta ſua proficuum inſtituere laboro; ad rem fore arbitror, ſi Religioſi quoque Philoſophi de illis inſuper officiis commoneantur, quæ erga

enſem (*), P. Ottonem Aicher, et præclarum opus Ethicum, quod nuper inſignis P. Simpertus Schwarzhueber Benedictinus Weſſofontanus ſummo omnium Literatorum applauſu publici iuris fecerat.

Suprema tandem Regularis Philoſophiæ pars eſt Phyſica, ſeu ſcientia rerum naturalium, et præprimis corporearum. Huius quoque neceſſitudinem in clauſtris regularibus affirmat Mabillonius, cum eam ad moralem Philoſophiam plurimum conferre aſſerit. imo nuper primum Clar. quidam Recentior luculentis rationum momentis arctiſſimum phyſicæ cum diſciplinis theologicis nexum oſtendit, eamque animarum curatoribus perutilem eſſe commonſtravit (**). Verum abſit, ut nomine phyſicæ ſpuriam illam Scholaſticorum ſcientiam naturalem intelligamus, quæ barbara illa, et ſordidiſſimi metalli ætate in Coetibus monaſticis circumferebatur (***); illam potius cum Mabillonio Phyſicam in Athenæis regularibus prælegendam cenſeo, erga Superiores, Confratres, Seniores, et iuniores obſervare tenentur, niſi forte eorum iamiam in annuo tyrocinio certiores redditi ſint, ut in ſuperiori animadverſione inſinuaveram.

(*) Ad præſens negotium apprime inſerviet integer Tomus IV. Element. Metaph. huius Authoris.

(**) P. Leopoldus Bivvald S. I. in Alma Græcenſi Phyſicæ Prof. P. O. in Diſſertatione de ſtudii phyſici natura P. III. A. I.

(***) Deformitas phyſicæ huius tanta erat, ut Author *Spectaculorum naturæ*, quem plerique aiunt eſſe Cl. Le. Pluche, palam fateatur: *quod illo tempore, in Monaſteriis, ubi ſcientia naturæ tradebatur, plerumque frater Pharmacopola, aut frater coquus plus ſanæ phyſicæ in ſuo cerebro poſſideret, quam frater Lector.* vide Schauplaz der Natur 4. Th. 498. Blat.

ſeo, cuius præcipuum munus in particularium corporum contemplatione conſiſtit, principiorum naturam perſcrutando, ex quibus coaleſcunt. Obiectum igitur Phyſicæ præcipuum eſt *corpus naturale*, cuius originem, eſſentiam, affectiones, vires, diverſosque ſtatus opitulante hac ſcientia contemplamur. Hoc ipſum vero naturale corpus dum Phyſica in genere attingit, *Generalis:* ſin autem in ſpecie conſiderat, *Phyſicæ particularis* denominationem ſortitur. Phyſica generalis, meo ſaltem iudicio, in quinque partes, ſeu diſſertationes diſpeſci poteſt; quarum prima complectitur *Somatologiam*, ſeu doctrinam de principiis, eſſentia, ac generalibus corporis phyſici affectionibus, quæ ad propriam eiusdem eſſentiam pertinent. Alteram conſtituit *Æſdiſeologia*, ſive doctrina de illis naturalis corporis qualitatibus, quibus id ipſum in ſenſus animales agere noſcitur (*). Cum vero corpus phyſicum, ſicut certo tempore, et loco, ita pariter in determinato ſtatu motus, aut quietis, vel potius minoris, ac remiſſioris motus exſiſtere debeat; Somatologiæ, et Æſdiſeologiæ ſubiici poſſunt *Phoronomia*, et *Statica*, quarum prior doctrinam de motu corporum cum in genere, tum in ſpecie: poſterior vero doctrinam de æquilibrio eorumdem, qua ſolidorum, qua fluidorum complectitur. Utrique tamen præmittendam eſſe opinor *Dynamicam*, ſeu doctrinam de viribus corporum relate ad illorum motum, aut quietem. Singulis hisce diſſertationibus ſervata proportione interſeri poſſunt ſenſuum teſtimonia experimen-

(*) Solent equidem non pauci Philoſophi hanc de qualitatibus ſenſibilibus diſſertationem ad Phyſicam particularem reiicere, ubi de obiectis ſenſuum externorum agunt: conſultius tamen mihi viſum eſt, in hoc negotio ordinem magis naturæ inſequi, et ea, quæ omnibus corporibus communia ſunt, eo in loco pertractare, ubi eorumdem generalis notitia inſtituitur.

rimentis comprobata, ſed adhibita iterum moderatione. nam quantum ad phyſica experimenta attinet, monet denuo Cl. Mabillonius: Non nulla ex principalibus ſupponi poterunt, quæ iam ad praxin redacta leguntur. Verumtamen non expedit, ut Monachi hisce curioſitatum generibus operam navent, tametſi non nihil utilitatis inde obvenire queat (*).

Phyſica generali hac ratione in meliorem ordinem redacta ad ſpecialem tranſire oportet. Hæc ſcientia corpora præcipue in ſpecie conſiderat, quæ familiari diviſione a Phyſicis in viventia, et vitæ expertia diſtribuuntur. Atque eam ob rem ſcientiam hanc bifariam diſpeſcere mihi viſum eſt, quarum una pars ad *Megacoſmum* altera *Microcoſmum* reſpicit. Priorem conſtituit *Coſmologia*, ſeu ſcientia Mundi univerſe ſpectati. Hæc aſpectabile hoc univerſum triplici contemplatione examinat: *Metaphyſice* nimirum, *Mathematice*, et *Phyſice*. Tertiæ huic contemplationi ſubiacet *Uranologia*, *Meteorologia*, et *Geologia* cum *Hydrologia*. quarum

(*) Sit mihi fas non nihil a cynoſura methodi Mabillonianæ in hoc negotio diſcedere, cum uſum experimentorum ſatis dilaudare nequeo. Illorum enim adminiculo Auditorum intelligendi, et penetrandi vim longe commodius adiuvari expertus ſum, quam ſi integra volumina experimentis, et relationibus conferta illorum oculis ſubiiciantur. Adhæc, ſi machinæ quædam pro inſtituendis tentaminibus ad manus ſunt; multum certe temporis aliis conſecrari poteſt materiis, quod alias in deſcribendo machinarum apparatu, applicatione, et effectu conſumendum eſſet. ſufficere tamen exiſtimo: ſi communia Electricitatis, ac Antliæ pnevmaticæ tentamina iuvenibus Clericis exhibeantur; vel non nulla ad Opticam pertinentia ſubminiſtrentur, cum hac ratione illorum curioſitati pro temporis uſura abunde ſatisfieri poſſit.

rum prior continet doctrinam eorum corporum, quæ in sphæra coelesti circumrotantur: Altera circa illa phænomena tum hypostaticatum emphatica occupatur, quæ in sphæra elementari comparent: utraque vero postrema illa disquirit corpora, quæ in sphæra terrestri, et eiusdem Atmosphæra, et intimis viscеribus hospitantur. Cosmologiam excipit *Anthropozoologia*, seu doctrina de corpore animali, et præcipue hominis, in qua præter *Osteologiam*, ac *Neurologiam*, quarum princeps munus est, compagem ossium, ac nervorum (a quibus animalis sceleti ædificium sustentatur) industrie considerare, studiose attendenda est Oeconomia sensuum cum externorum, tum internorum. reliqua vero, quorum notitia non nisi chirurgos, et medicinæ cultores condecet, tutius omittuntur, quam fusius pertractantur: oportet enim, Monachos, ut magis in ea, quæ sunt spiritus, indagent, quam molis carnalis curiosa nimis solicitudine afficiantur, quæ honestati religiosæ derogare videtur. Ut autem Physicus Religiosus nullum corpus seu vivens, seu non vivens intactum reponat; Anthropo-Zoologiæ adiiciendam reor *Phytologiam*, seu doctrinam, et Anatomen de Plantis; Longior tamen materiæ huius dilucidatio otiosis naturæ scrutatoribus transscribenda esse videtur; ne nimiæ biennalis temporis angustiæ (in quibus modo studia literaria, modo exercitia Religiosa vi regularis consuetudinis in Choro, et communitate introducta alternas vices subeunt) Religiosum Philosophum plura parantem in termino suffocent; qui utique in tali providentia redditur.

Infelix operis summa, quia ponere totum
nescict. (*) - - - - - - - - -

Asso-

(*) Horat. in Arte poët.

Aſſolent inſuper hodierni Phyſici novaturientes diſciplinis phyſicis adiungere Matheſin, ſororio, ut aiunt, vinculo iisdem connexam. Verum eam ipſam pure in ſe ſpectatam non ſolum Religioſo ſed omni Philoſopho ſupervacaneam, et inutilem eſſe ipſus Author Artis cogitandi aſſerit, cum ait (*): *ſcientiæ iſtæ* (nimirum Aſtronomia, Geometria &c.) *non tantum ſinus, et receſſus parum utiles habent; ſed omnino inutiles ſunt, ſi in ſe, et propter ſe ſolæ ſpectentur. Homines non ſunt nati, ut in menſurandis lineis, examinandis angulorum rationibus, variis materiæ motibus ſpeculandis conſeneſcant. Mens eorum ſublimior eſt, vita brevior, et tempus pretioſius, quam ut rebus adeo vilibus occupentur.* Abſit tamen, ut et ego has cavillationes hodiernis Philoſophis oggeram, qui utputa tam admirabili commercio Matheſin ſcientiæ naturali haud exiguo Reipublicæ emolumento aſſociarunt. Id unice contendo: eam iuxta mentem Mabillonii Religioſis intra ſepta clauſtri cohærentibus, et commorantibus (ad hanc enim præciſe providentiam præſentis ſyſtematis de Philoſophia regulari modicus hic conatus collimat) incongruam eſſe. „Inde namque „(pergit profundiſſimus hic coenobita) inde namque „nimium diſtrahuntur, et libera ſpiritui facultas ſurri„pitur ad iis vacandum, quæ ſunt Monaſticæ conver„ſationi magis conſentanea. Rurſus tempus, quod ſu„pereſt poſt exercitia communia, ſatis non eſſet ad ex„plendam cupiditatem maiora ſemper indagandi in iſtis „ſcientiarum generibus. Præterea multa ad hoc in„ſtrumenta non ſine magnis ſumtibus requiruntur; plu„raque fieri debent experimenta, queis valde diſtor„quentur animi, ac proinde Aſcetas minime decent.„ Verum eo modo vivimus tempora, ubi Mathematicas diſci-

(*) In Præfat. ad Artem Cogitandi ex citata iam ſemel verſione Cornel. ab Ackersdyck.

disciplinas plus iusto iamiam scientiæ naturali insertas esse novimus : hinc, ne contra torrentem agere videar, cum eodem Mabillonio enuntio : Etiam Religiosis prodesse aliqua saltem *Geometriæ* principia, et quatuor species, seu præcipuas Arithmeticæ regulas, et Algebræ fundamenta non ignorasse ; reliqua vero Monachis non videntur adeo necessaria. Hæc autem subsidia ex Mathesi petita Physicæ generali in modum Præcognitorum, aut Prolegomeni præmittenda esse autumo, cum illorum usus ad penetrandas vires corporum, ac Leges motus cum simplicis, tum compositi ad maximam partem valet; prout etiam Author *Mundi aspectabilis* (*) perbene advertit, cum ait : *Matheſin quod attinet, illæ plane ad naturalium rerum intelligentiam est necessaria: cum enim DEUS omnia fecerit in numero, pondere, et mensura, in quibus tota consistit Mathesis, nemo certe rerum in hoc mundo ordinem, proprietates, proportiones, vires, agendi modos sine hac intelliget, aut explicabit, ut adeo hæc omnia ad unam scientiam pertinere videantur, nempe Philosophiam perfectam.* cum vero hæc scientia difficultatum spinis undequaque referta sit, ut animos vel ad extremos usque sudores exagitet, aut tædio tandem afficiat, hinc altefatus Author provide suadet : ut omnia sic temperentur, ne iuvenes animi facile absterreantur: præsertim si talia referantur problemata, quæ præter intensissimam ingenii perspicaciam, assiduam quoque meditationem exigunt. sufficiet igitur naturalis scientiæ tyronibus ex Mathesi mutuasse præter *arithmeticam vulgarem*, etiam *speciosam* saltem quoad principia magis generalia. Ex geometria vero notiones linearum, angulorum, triangulorum, circuli, figurarum solidarum &c., de quibus etiam pro exercitatione aliquot Theoremata leviora instituí possunt. Atque hac ratione Phy-

(*) Cl. P. Jos. Falk in Præfat. huius operis.

Phyſica non minus utilis quam iucunda erit, ſi moderatis hisce Matheſeos ſubſidiis adiuvetur. Talis itaque ſcientia naturalis, ſeu Phyſica tam generalis, tam particularis athenæis monaſticis reſtituenda eſt, quam brevi calamo hucusque deſcripſi: ex qua utique non ſolum maior utilitas promanat, ſed et ingenia longe melius per eam acuuntur, quam per inanes ſcholaſticorum ſubtilitates, quibus aliquando Peripatetici integram naturalem ſcientiam miſere obruebant, et deformabant; ita quidem, ut inſignis Vir Chriſtianus Thomaſius palam profiteatur (*): *omne tempus pro perdito eſſe iudicandum, quod in Phyſicam Peripateticorum impenditur, ita inepta, et ſtulta ibi ſunt omnia.*

Enumeratis igitur totius Philoſophiæ partibus, et eo ordine digeſtis, quo utiliter in coetibus religioſis ſtudia philoſophica inſtitui poſſe iudicaveram, ad eam tandem devolvimur quæſtionem: qualis methodus in his diſciplinis pertractandis adhibenda ſit? ſive an illa antiquorum Scholaſticorum ſit retinenda, vel ad genium præſentis ævi illa Mathematicorum et Geometrarum apprehendenda ſit, quæ non niſi ſynthetice, aut analytice incedit? illa enim Socratica (ſeu potius Platonica) per dialogos philoſophandi, et ſermocinandi ratio, licet in ſe peramæna, ac valde temperata ſit, et inſuper illam Cl. Joannes Clericus cum multis aliis ſummis deprædicet laudibus (**), ad ſtudium quoddam ſyſtematicum, quale tamen diſciplinæ naturales exigunt, minus conveniens videtur. Fateor equidem methodum mathematicam, ſeu ſyntheticam, quæ præſenti temporum curriculo in omnibus coetibus literariis domeſtica, et familiaris evaſit, pro capeſſendis ſcientiis in ſe omnino aptam,

(*) In introductione ad Philoſophiam aulicam C. XI. §. 34.

(**) Log. P. IIII. C. IX. de Argument.

aptam, et utilem esse; et ideo haud abs ratione a viris profundissimis in ordine ad veritatem inveniendam, ac stabiliendam usurpari. Verum non desunt momenta, quibus æque multi huius methodi usum carpunt, eamque non quidem in omni eruditionis genere roboratis, novitiis tamen in foro literario ingeniis minus proficuam, imo prorsus molestam, ac implexam nimis esse contendunt; quodque multiplici experientia comprobare satagunt (*). Discipulos videlicet languere, et disturbari, si sensa sua ad rigidas methodi istius leges exprimere, ac proferre cogantur: si in scriptis ad plures propositiones quasi concatenatas ob insertas frequentes citationes repente subsistere, atque ad priora mentem ætatis vitio vagari assuetam reflectere, aut præmissarum aliunde supposita rum veritatem perspicue recolere, connexionem acutissime scrutari, atque prolixam interdum seriem conclusionum velut per soriten deductam extricare iubeantur. Ut igitur ab hac molesta controversia memet expediam, placuit mihi præprimis ad munus prudentis Doctoris respicere; cuius interest, ut doctrinam, et methodum non suo genio, sed discentibus præcise accommodet, neque enim omnes omnia æquis humeris sufferre valent, nec de omnibus cum omnibus differendum est. Eum in finem in Asceteriis monasticis adeo expeditam docendi methodum assumendam esse aio, quæ omnibus et singulis discipulis pro quibusvis literarum studiis usuvenire possit. Talem vero methodum ex sobria commixtione syntheticæ, et scholasticæ, seu melius syllogisticæ derivandam esse reor, quæ veluti *Syncretistica* nuncupari promereatur. Atque hanc methodum tradendæ cumprimis Philosophiæ peraccomodam censeo; eoquod tam ad veritatem inveniendam, quam ad eamdem stabiliendam, promovendam, diiudican-

(*) Id ipsum conqueritur Cl. P. Mako S. J. C. IV. P. II. in Institut. Log. n. 140.

dicandam, et cum aliis communicandam utiliter deſerviat, quem finem omnes utique diſciplinarum philoſophicarum Promicondi inſequi ſolent, et tenentur. Artificium enim ſyllogiſticum ſolitarie ſpectatum (quod mihi fas ſit dicere bona omnium Scholaſticorum venia) ad quamdam veritatem inveniendam nihil conducit, cum magis veritatem aliis adminiculis iamiam inventam præſupponat, ut perbene arguit Verulamius, dum ait (*): *Syllogiſmus ad principia ſcientiarum non adhibetur ad media axiomata fruſtra adhibetur, cum ſit ſubtilitati naturæ longe impar. aſſenſum itaque conſtringit non res. Syllogismus ex propoſitionibus conſtat, propoſitiones ex verbis, verba notionum teſſeræ ſunt. itaque ſi notiones ipſæ (id quod baſis eſt rei) confuſæ ſint, et temere a rebus abſtractæ; nihil in iis, quæ ſuperſtruuntur eſt firmitudinis.* Promptiora igitur ad veritatem ſecurius, faciliusve in veſtigandam, ac adinveniendam auxilia ſuppeditat methodus ſynthetica, ſeu compoſitionis (**), per quam nimi-

(*) In novo Organo Aphoriſ. XIII. et XIV.

(**) Methodus, quæ ad veritatem inveniendam ex natura ſua ordinata eſt, eſſet quidem *Analytica*, ſynthetica enim magis *methodus doctrinæ* dicitur. verum quia hæc nimis late diffunditur, ac nimiis ſcrupulis ſubiicitur. ſyntheticam tanquam arctiorem, limatiorem, breviorem, fortiusque convincentem tutius adhiberi exiſtimo; præſertim cum et hæc veritati eruendæ aliquomodo præſto ſit, prout advertit Joan. Clericus Log. P. III. C. I. *In analytica methodo, ex veritate particulari nota, ad alias quæ pertinent ad rem aliquam ſingularem progredimur In ſynthetica vero methodo, generales quasdam veritates proponimus, ex quibus veritates ſingulares deducimus.* Ipſæ autem veritates generales applicantur nobis potiſſimum per obſervationes, et experientias ſenſuum, quæ deinde nos ad aliam veritatem deducendam manuducunt. Hoc interea non diffiteor, methodum ſyntheticam interdum nullo modo adhiberi poſſe, ut in phyſica non nunquam fieri amat: interdum vero cum regulis analyticis coincidere. Prudentis dein erit, in hisce caſibus æqui bonique conſulere.

nimirum a notioribus, et facilioribus incipimus, atque hinc pedetentim ad difficilia, et ignota progredimur; qua in parte methodus ſynthetica cum analytica coincidit. Poſtquam vero per legitimas notiones ex fundamento evidenti, aut certo veritas quædam ſpecialis eruta fuit, ea tandem ratiociniis ad formam ſyllogiſticam compoſitis ſtabilienda, et ab Adverſariorum replicis vindicanda eſt. Hæc enim philoſophandi ratio iuxta requiſitas methodi dotes *brevis* eſt; cum ad unum medium terminum veritatis examen reſtringitur, ſuperflua prolixitas reſecatur, et oppoſitis argumentis absque mora ſatisfit: eſt *clara*; eoquod obſcura dilucidat, dubia diſtinguit, et fallacias diſſipat, ac non niſi claris notionibus et terminis utitur: eſt *ſolida*; quia ex præmiſſis legitime comprobatis, aut demonſtratis ad legitimas pariter concluſiones progredimur; tantoque pollet conſtringendi robore, ut intellectus bene diſpoſitus cognita ratiociniorum oeconomia non poſſit non aſſenſum propoſitæ veritati præſtare. ſilentio prætermitto plura alia commoda ex methodo ſyllogiſtica redundantia, quibus aut brevitati memoriæ ſuccuritur, aut imbecillitas iudicii in non nullis adiuvatur. et animi diſcipulorum in eruditis conflictibus (quorum perutilem eſſe conſuetudinem inferius declarabo) debitos intra cancellos continentur. Non neſcio equidem hanc methodum ob aliquorum garrulorum Sophiſtarum licentiam, ſeu mage inſcitiam in ſteriles verbivelitationes degeneraſſe; ſed expedit, ut turpis hic artis ſyllogiſticæ abuſus radicitus eliminetur, et ſobrius eiusdem uſus athenæis philoſophicis reſtituatur, quemadmodum Viri literatiſſimi, et in ipſis etiam diſciplinis mathematicis exercitatiſſimi hodiedum perquam utile fore agnoverunt (*): ut adeo illorum novaturien-

(*) In Monaſteriis hoc artificium ſyllogiſticum præcipue attendendum eſſe puto; ne Theologiæ Profeſſores

turientium ambitio, qui omnem formæ ſyllogiſticæ uſum naſo ſuſpendunt adunco, aut iuvenilis, aut Thraſonica audiat.

Hæc igitur ſyncretiſtica methodus hoc ordine inſtituenda eſſe mihi videtur.

„Inprimis cuilibet materiæ, cuius periculum „facere contendimus, præmittantur *obſervationes* „et *experientiæ*, quæ nobis aut ſenſus externi, aut „interni rite tamen applicati, et diſpoſiti ſuppedi„tant, ſi revera haberi poſſint.

„Obſervationibus ſubiiciantur *Definitiones*, et „*Diviſiones* rerum, quas obſervatione uſurpavimus.

Definitionibus, ac Diviſionibus ſubiungantur „pro opportunitate *Axiomata*, ſi locum habere „queant: aut *Corollaria*, aut *Scholia*, quæ penitiori „inſpectioni materiæ diſcutiendæ deſerviunt.

„Quodſi ipſa materia controverſiam patitur, il„lico figendus eſt *Status quæſtionis* iuxta ſingula „materiæ controverſæ momenta.

„Poſito ſtatu quæſtionis enumerentur variorum „Authorum *ſententiæ*, aut *Hypotheſes* circa mate„riam controverſam. ubi ſtudioſe recenſendum eſt, „an et iſti Authores easdem nobiscum adſtruant „Obſervationes, Diviſiones, ac Definitiones &c. „ſecus enim illorum principia fideliter referenda „ſunt.

„Exantres, qui plerumque hoc artificio tam in dogmaticis, quam ſpeculativis (ut aiunt) ſobrie utuntur, conqueri poſſint: Philoſophiam ad ſcientias theologicas aut parum, aut nihil conducere.

„Exantlatis Authorum placitis, ad eorumdem „diſcuſſionem deſcendendum eſt; ita, ut poſita „quadam *Propoſitione*, aut *Concluſione* infirmita„tem opinionis ab hoc, vel illo Authore ſuſceptæ „oſtendamus. Hoc autem, cur per ſyllogiſmos, „aut Enthymemata, methodo videlicet ſyllogiſtica „fieri nequeat? non video. Interim tamen exi„ſtimo: nullum Philoſophum teneri alterius opi„nionem præciſe refellere. per hoc enim, quod „alicuius opinionis valorem evertam, inepte uti„que inferrem, meam aſſertionem veriorem, aut „probabiliorem eſſe. ſecure igitur abſtinere licet „a refutatione aliorum Authorum; dummodo pro„pria aſſertio ab oppoſitis Adverſariorum ſufficien„ter vindicetur (*).

„Enervatis ſententiis, aut hypotheſibus decre„toria tandem propriæ aſſertionis concluſio, aut „Propoſitio ſtatuenda eſt: quæ cohærenter cum „datis principiis methodo identidem ſyllogiſticæ „deducenda eſt.

„Stabilita ea ratione aſſerti Concluſione, niſi „adiicienda adhuc ſint quædam Corollaria, aut Scho„lia pro maiori ſoliditate, vel claritate Propoſitio„nis, transgredi oportet ad diluenda Adverſario„rum oppoſita; ſeu *obiectiones*, quæ denuo forma „ſyllogiſtica inſtitui poſſunt, et eadem ratione re„ſolvi.

Quodſi vero materies pertractanda litigiis ſub-

„iecta

(*) Hæc in ſolatium illorum animadvertere volui, qui pacificos Philoſophos agere ſtudent.

„iecta non eſt, neque Authores in diverſas opinio-
„nes abeunt; Propoſitiones decretorias illico poſt
„Definitiones, Diviſiones, et Axiomata &c. col-
„locandas eſſe autumo, Scholia vero, et Corolla-
„ria easdem ſubſequantur: in quibus, ſi opportu-
„nitas tulerit, res ad Propoſitiones adhuc perti-
„nentes disquiri poterunt.

„Cum vero ex recepta in Scholis aſſuetudine
„non nulla in Philoſophia pertractantur, quæ cum
„rebus fidei, ſcitisque theologicis connexa eſſe ſci-
„mus, ita tamen, ut aſſenſum, quem iisdem ex-
„hibemus; iuxta exigentiam motivorum adorna-
„re ſoleamus; hinc, licet pro tali caſu philoſo-
„phandum omnino non eſſet (prout ex hucusque
„dictis colligere licet) ea tamen dogmata, quæ
„certitudine fidei gaudent, qualia v. g. ſunt
„Mentis humanæ Origo, Spiritualitas, Immor-
„talitas, Libertas &c. aliqua ſaltem mentione
„attingi debent: ne ratio humana illud for-
„ſan impoſſibile cenſeat, quod tamen authori-
„tas per fidem applicata ſeu divina, ſeu eccleſiaſti-
„ca, credibile non minus, ac poſſibile efficit. Ea-
„propter, ut naturalis ratio S. Fidei ſubordinetur,
„ſcholion, aut brevior quædam Propoſitio ante
„hypotheſes, ſeu varias opiniones Authorum præ-
„figenda eſt: in qua ex SS. paginis, traditione ore
„Patrum confirmata, et Conciliorum effatis oſten-
„datur, materiam eſſe de fide, quod ſi forte ex
„iisdem fontibus quidam textus ad ſpeciem oppo-
„ſiti eſſe videntur, ii confeſtim poſt ſtatutam Pro-
„poſitionem de fide in modum Corollarii collocan-
„di ſunt, et reſolvendi, aut declarandi, ſed omni-
„no breviter; ne temere in illud munus invole-
„mus, quod Theologis proprie incumbit, neque
„amplius

„amplius intra naturalis ſcientiæ limites contine-
„tur (*).

Cogitabam equidem pro illuſtranda methodi huius ſyncretiſticæ œconomia Paradigma, ſeu tentamen adiicere, ut eo melius quivis animi mei intentionem diſpicere queat. Verum longe felicius illud exhibet Cl. P. Fortunatus a Brixia immortalis nominis Philoſophus in *Philoſophia Mentis et ſenſuum* ſex tomis comprehenſa. Hanc igitur methodum nec nimis ſcholaſticam eſſe, et contentioſam, nec mathematico rigore plus iuſto permixtam vel intuenti patet: ſed cum media via incedat, ſingulis Philoſophiæ diſcipulis rite inſtituendis facilis, atque perutilis viſa eſt mihi. per eam nimirum conſulitur brevitati, claritati, et ſoliditati: diſcipuli concinno ordine ſtudia, et contemplationes protelare addiſcunt: ad extricandas impigre difficultates cordati, ac robuſti redduntur, et ad easdem ordinate, et clare proponendas feliciter manuducuntur, nec non ab oppoſitis argumentis ſeſe expedire norunt. Hoc autem ſi iuvenes Philoſophiæ candidati præſtiterint ope mixtæ huius methodi, nullus me hercle dubio locus ſupereſſe poterit, quin methodus ſyncretiſtica in cunctis regularibus ſodalitiis aut retinenda, aut introducenda ſit.

(*) Incidi aliquando in manuſcripta cuiusdam Viri in ſcitis philoſophicis perquam verſati. Et ecce! cum in iisdem ad materiam de libertate mentis humanæ pertigiſſem (quam in prima facie iuxta ſobriam philoſophiam egregie pertractat) quatuor, aut quinque offendi paginas vindiciis et apologia refertas de S. P. Auguſtino eiusdemque ſcriptis *de libero arbitrio*. laudabunt forſan aliqui factum hoc: Ego autem Philoſophum iſtum illi pictori apud Horatium in art. poët. ſimilem eſſe exiſtimo, qui *Delphinum ſilvis appingit, fluctibus aprum*.

Eum itaque in finem consultius longe videtur, si Professores, Lectores, vel quibuscunque demum tradendæ Philosophiæ munus incumbit, tyronibus suis scripta dictent, ut iterum præclare monet laudatus sæpe Mabillonius (*): „enim vero ex uno capite (ait) cuilibet Ma„gistro negotium plerumque facessit Authoris scholastici „(*Classici*) prælo editi opiniones mere explanare; diffi„cillimum quippe est, quod in cunctis sibi plane arri„deat. Præterea parum existimationis, authoritatisve „apud discipulos suos sibi conciliat, nisi scripta proprio „marte composita iisdem tradiderit. Insuper Magister, „qui sapiens, prudensque habetur, multo melius pro„pria scripta discipulorum ingenio poterit conformare, „quam si librum impressum iisdem explicet (**). rur„sus scientiæ vividius discipulorum mentibus imprimun„tur, si calamo exarentur, quam si pure legantur; pos„sunt siquidem animo distrahi, dum a Magistro expli„catur Author; at vero dum scribunt, se cohibent, „cohibere autem se nequeunt, quin aliqua ratione atten„tos eidem se præbeant Auditores, præsertim vero cum „scriptorum explanatio continuo subsequitur. Tandem „universalis omnium fere temporum praxis iugiter ex„stitit, scripta adolescentibus tradere; unde etiam palam „evincitur modus hic longe utilior esse.„ Id tamen serio cavendum esse reor; ne scripta nimis prolixe deducantur brevitati enim summopere studendum suadet citatus Mabillonius loco itidem citato. „ne iuuenes inutili„ter defatigentur in exarandis prolixis tractatibus.„ Id ipsum

(*) In tract. de stud. Monast. P. II. C. X. n. I.

(**) Plerumque insuper Viri scientiarum cathedris destinati in matura præprimis virilitate calent scribendi studio; et ad Cleanthis lampadem expallescere solent, ut in classe *Authorum* collocari mereantur. commune etenim omnis generis literatorum calcar est: *digitis monstrari, et dicier, hic est.*

ipſum quoque parcitas temporis in coetibus regularibus poſtulare videtur. ſi nimirum horas ſervitio divino, exercitiis regularibus, refectioni, ſcriptioni, repetitioni deſtinatas a penſo diurno ſubtraxeris, exigua profecto temporis portio ſuperabit, qua tyrones ad ſtudia domeſtica ſubeunda uti poſſunt. quid, quod ob nimiam prolixitatem mentes ſtudentium tædio ac nauſea ſenſim obruantur, et alacritas illa, cum primævo fervore tandem exſpiret, quæ diſcentium induſtriam continuo animare aſſolet? Vitio huic avertendo cum primis ſtudere oportet illos, qui occurrentem quamvis materiam coadcervatis obiectionibus, ſterilibusque quæſtiunculis augere amant. præterea enim, quod auditoribus ſuis temporis uſuram ſubtrahant, imbelles iſti, aut terrores panicos ſeſe pati profitentur, aut congrua principia, ſi non ignoraſſe, ſaltem neglexiſſe arguendi ſunt: imo, quod deterius eſt, nonnunquam muſcam ſugunt, et Camelum deglutiunt, et non niſi nodum in ſcirpo plerumque aucupantur. At vero monendum reſtat, ne, dum prolixam charybdim evitare parant, incidant in ſcyllam brevitatis, ita, ut, cum breves eſſe laborant, obſcuri fiant. commune enim fert adagium: compendia eſſe obſcura, et vel ideo tyronum captui minus accommoda. Omnis igitur ſolicitudo, ac induſtria acuenda eſt, ut ſcripta nec nitida claritate, nec ſuccincto ordine deſtituantur: præſertim vero cavendum eſt barbarum ſcribendi genus, quod antiquis Scholaſticis frequens fuiſſe ſcimus, turpemque Pædantiſmum olet.

Scriptis ea ratione ad iuſtam brevitatem, venuſtamque claritatem ac ſoliditatem compoſitis utiliter accedere poteſt ſuccincta pariter explicatio, qua præcipue illi tyrones iuvantur, qui aut modum ſtudendi ignorant, aut hebeti non niſi acie ingenii ob mentis brevitatem pollent. Explicationem pari utilitate excipit Repetitio, in qua

Magiſtris pronum erit explorare, qua ratione candidati ſcripta, datamque ſcriptorum explicationem penetraverint; imo plurimum facundiæ tyronum conſulitur, ſi in repetitione datas quæſtiones permutatis nonnihil vocabulis, conſtructionumve nexu hinc inde inverſo reſolvere cogantur. Repetitioni magno certe commodo inſerviunt Exercitationes ſcholaſticæ, quas *Circulos* vocare ſolemus. In his ex tyronibus unus defendentis, alter oppugnantis munus ſuſcipit. Prior incipit enarrare ſeriem materiæ iniunctæ inchoando ab obſervationibus, aut definitionibus, et ſingula eo ordine proſequitur, quam ſuperius oſtendi: confutatis dein opinionibus adverſis, et decretoria concluſione firmata alter methodo ſyllogiſtica difficultates opponi ſolitas in medium profert, quas prior mox fideliter reſumit, et habita proportione aut legitime diſtinguendo, aut negando, dataque negati ratione reſolvit. ſedulo tamen attendendum eſt Magiſtris, in quorum præſentia exercitationes iſtæ celebrari debent, ne ambo tyrones ad præcipites clamores devolvantur, quibus alter alterius verba ſuffocare aſſolet: cum hac ratione non ſolum in modeſtiam religioſam, ac virilem peccant; ſed plerumque extra ſtatum quæſtionis prolapſi in tenebras abeunt, ima ſummis commiſcent, ita, ut utriusque obiectiones ac reſponſiones nil aliud ſint, quam

Non bene iunctarum diſcordia ſemina rerum (*).

ſumme proficuum igitur erit diſcipulis, ſi Profeſſores pacato animo ipſos diſputare doceant, iuvenilem fervorem temperent, geſticulatoriosque motus ac ſitus, qui raro deeſſe ſolent, acriter improbent (**). Ex hac autem

(*) Ovid. l. 1. Metam.

(**) Plura de hac animadverſione ſuppeditant Cl. Anton. Genuen. *de methodo diſputandi* in arte Logico-critica.

autem exercitationum induſtria frequentia tyrones tandem expediti redduntur ad edenda quoque publica hauſtæ doctrinæ ſpecimina, ſi nempe in conſeſſu aut ſuorum confratrum, aut aliorum literatorum poſitiones quasdam controverſas defendendas ſuſcipiunt.

Repetitiones non minus, ac dialecticas haſce exercitationes in phyſica generali, et ſpeciali plurimum promovere ſolent experimenta, ſi forte quædam machinæ ad manus ſint: cum per ea Phantaſia longe vivacius afficitur, quam per meram enarrationem. Namque

ſegnius irritant animos demiſſa per aurem,
quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus - - (*)

quamprimum vero eiusmodi tentamina producenda ſuſcipiuntur; illico diſcurſus inſtituendus eſt: quæ experimenti cauſſa ſit? quave ratione in his, illisque circumſtantiis applicata agere ſolet? neque a re alienum erit, ſi diſcipuli non nulla problemata arithmetica, et theoremata geometrica, ſed non niſi leviora reſolvere addiſcunt, cum hac ratione intellectus illorum expeditus redditur ad capeſſendam materiam de motu et quiete corporum, prout ea præſenti ætate pertractari conſuevit.

Hæc

tica. P. Hauſer, et Udalricus Weis in libro *de emendatione intellectus humani.* ex quibus valde utiliter diſcipulis quædam huc pertinentia prælegi poſſunt. Interim tamen fateor: clamoſitatem in diſputationibus tam firmam civitatem obtinuiſſe, ut vix amplius ex ea deiici poſſit.

(*) Horat. in arte. poët.

Hæc tandem totius Philoſophiæ regularis oeconomia eſt, hæc genuina illius facies, prout illam diſponere cogitabam eum in finem, ut tyronibus religioſis utilis evaderet, neque moleſtis mathematicorum ſpinis obrueretur, aut decrepitis ſcholaſticorum nugis ac crepundiis perverteretur. Atque ut Auditores Philoſophiæ huius, cum ad diſciplinas theologicas, ſeu dogmaticas, ſeu morales transvolant, eiusdem ſcientiæ uſum habere queant, artificium dialecticum ubique adhibendum eſſe cenſui, et illarum notionum, ac terminorum, ſaltem faciendam eſſe mentionem iudicavi, quos non nulli Theologi ex Philoſophia vel ſupponere, vel mutuos accipere amant. Usquedum ſanctiores theoſophiæ diſciplinæ unanimi tandem Literatorum conſenſu, iunctisque manibus a Scholaſticorum ſpeculationibus depuratæ in melius reformentur, et prætenſus ille nexus Theologiam inter, et Philoſophiam, ancillarisque ſervitus in auras penitus diſcedat, et ſcientiæ naturales priſtinæ ac nativæ libertati reſtituantur, quod, ut eo faciliori brachio, breviorique temporis intervallo contingere queat; plurimum conducere arbitror ſobriam ſentiendi libertatem, ſeu clecticam philoſophandi rationem. quod ipſum pariter perſuadere videtur Mabillonius, cum in ſupratacto capite ait: „Qui Philoſophi nomine „vere gloriantur, nullius unquam authoritati, doctri„næque deſpondet, ſed tamdiu ſuopte ingenio medi„tatur, donec luminis naturalis, et inconcuſſæ verita„tis principium nanciſcatur, de quo non amplius queat ambigere„. Abſit tamen, ut hac ratione longævam conſuetudinem quarumdam regularium Familiarum reprehendam, quibus fixum, ratumque manet, unius Authoris, et Magiſtri placitis tenaciter inſiſtere. Id ſolum contendo, et confidenter aſſero: rationes, quæ pro eclectica philoſophia pugnant longe ſaniores, ac firmiores iis eſſe, quibus perſuadere ſolent libertatem ſentiendi

tiendi ad verba unius Magiſtri reſtringendam eſſe. Nam Imo: non ideo (utor denuo verbis Cl. Mabillonii) non ideo rerum ſcientia acquiritur, ſtatim ac Authoris innoteſcit opinio, quacumque aliter ſentiendi, aut ſcribendi præcluſa facultate. II. Sæpe ſæpius temporis multum fruſtra tranſigitur, germanum veſtigando proprii Authoris ſenſum, ſpeciatim in aliquibus controverſiis, quas ipſe ſubobſcure reſolvit. III. Hinc ea penitus non declinantur, quæ timentur abſurda, hoc eſt, circa opinandi libertatem; Magiſter enim non nihil acutus, Authorem quempiam ad proprium ſenſum iugiter poteſt exponendo trahere, ita, ut in cunctis ſibi patrocinari videatur (*). IV. In philoſophicis aliunde unicuique liberum eſſe debet ſuopte nutu de rerum natura ſentire. imo ſcrutandæ veritati plurimum obeſt ita iurare in verba Doctorum, ut horum authoritati haudquaquam liceat refragari. V. Iſto potiſſimum loco Divi Auguſtini normam ſequi oportet, aſſerentis: quantavis authoritate, ac ſanctitate fulgeat aliquis Author, ipſi tamen indubitatum, firmumque aſſenſum eo ſolum eſſe præbendum, quo rationes, quas Author in diſcutienda materia adhibet, illum a nobis extorquent. Aequum enim non eſt, ut unius authoritas tantum poſſit, ut etiam ſine ratione vincat.

Ne vero omnem omnino authoritatis uſum reiciſſe inſimuler, ſequentes canones ſtatuendos eſſe exiſtimo.

I. DEUS

(*) Quotidiana id docet experientia de mente Angelici Doctoris, quam Scholæ diſſidentes æqua lance perſpectam ac faventem habere volunt.

I. DEUS unicus eſt, cuius Authoritati, utpote infallibili ſit cæce fidendum, et ſine mora credendum.

II. Authoritas DEI præcipue nobis applicatur per S. ſcripturas. Harum autem finis nunquam eſt, nos erudire profana, et naturalia: certiſſimum tamen eſt, ſacros Hiſtoricos eſſe veraciſſimos, referreque veriſſima. quia vero Hagiographi perſæpe tropologice, aut in communi tenore loquendi ſcripſerunt, ideo omnia verba S. ſcripturarum promiſcue in ſenſu litterali et proprio uſurpanda non ſunt. imo interdum perſonæ quædam in iis adducuntur loquentes; ſed neque Hiſtoricus, neque DEUS hos ſermones ſuos facere protinus cenſendus eſt, niſi expreſſe id conſtet. Ut ergo Philoſophus divina ſcripturarum authoritate legitime utatur, conſtare oportet inprimis: DEUM locutum eſſe: 2do: quænam ſint DEI verba: 3tio: qui ſit verborum ſenſus. quorum trium unum ſi ignoretur, omnis divina authoritas perit (*).

III. Eccleſiæ infallibilitas ultra extendi non poteſt, quam quousque ipſi eſt collata divinitus. ſiquid unquam in phyſicis credendum propoſuit, id factum, quod illud ad fidem, vel fidei dogma quodpiam pertinere crediderit: ſiquam philoſophicam unquam opinionem proſcripſerit, eius damnationem præiudicialiter ad dogma quoddam Religionis ſtabiliendum præmitti neceſſe fuerit. Hinc, ſi quæ ſententia phyſica ſuſtineri non poſſit, niſi per neceſſariam conſequentiam veritas quædam revelata inde convellatur, illæ

(*) Minime igitur tolerandi ſunt illi, qui SS. voluminum abutantur authoritate, eorumque teſtimonia in ſuas profanas detorquent opiniones, et non ſolum renitentem, ſed invitam quoque ſcripturam ſua ſentire cogunt in iis, ubi ſcriptura vocum ſuarum ipſamet interpres eſt, ſeſeque explicat luculenter.

illa haud dubie falsa est, et argumenta eius non nisi ad apparentiam conficta esse, et speciem veri præ se ferre certissimum est (*). *Quod si apertus, et evidens inter dogma philosophicum, et revelatum intercedat nexus, isque constet Ecclesiæ, tum eius est, noxiam opinionis erroneæ in physicis affirmationem, aut negationem configere, atque opprimere: et sic opinionum etiam philosophicarum iudex competens est, et irrecusabilis. Secus autem manet sua quemque libertas.*

IIII. Sanctorum Patrum authoritas, uti in sacris omnium concors sententia habenda sancte, singulorum comiter, sic in philosophicis id saltem meretur, ut eorum opinionis ratio ita habeatur, quod sine sufficienti examine prævio non simpliciter reiicienda sit. cetera autem neque plus assensus, aut fidei exigunt, quam in id genus argumentis probant; præsertim dum ex Philosophis, uti plerumque fit, aliis sapiunt, eosque sequuntur.

V. Authoritate profana ut secure niti liceat, observandum est; an tanta scientia rei in Authore possit præsumi, quæ nos reddat erroris securos? et, an veram scriptor suæ mentis sententiam referat? an potius studio partibus serviendi, vel insultandi?

VI. Deni-

(*) Non semper autem ex veritate unius propositionis philosophicæ necessario veritas sequitur, aut falsitas alterius revelatæ; sed sequi non nullis videtur vel errore quodam, vel etiam malitia, ut sub obtentu Religionis maiorem opinioni invisæ invidiam possint conscisçere. Ita præclare Cl. P. Udalricus Weis in libro *de emendatione intellectus humani* P. II. Sect. II. C. XVII. §. CCCLXXIII.

VI. Denique in his quæ ad hominem interiorem pertinent nulla authoritas locum meretur, eorum teſtis enim luculentiſſimus eſt cuiusvis conſcientia intima. in illis vero, quæ ſenſibus externis ſubiecta ſunt, unice ſenſuum experimenta ſunt adhibenda, cum intima conſcientia eousque provinciam ſuam non extendit. Authoritas tamen in his locum habere non debet, niſi aut cum ipſi experimenta inſtituere nequimus: aut cum quæ ipſi obſervavimus, communi aliorum ſenſu confirmare volumus; quod ubi fieri poteſt commode, faciendum eſt ſemper.

Ad hos itaque canones ſi authoritatis uſum reſtringimus, et ſanæ rationi attemperamus, profecto, non poteſt non Philoſophia eclectica coetibus religioſis ſummie proficua advenire: cum talis philoſophandi ratio, utpote non niſi ſobrie applicata ad haurienda S. fidei dogmata longe commodior, ad capeſſendas diſciplinas theologicas multo expeditior, et ad excolendos iuvenum Religioſorum animos, acuendamque ingeniorum perſpicaciam facilior, feliciorque exſiſtat, quam omnis ſcholaſticæ eruditionis apparatus, quantumcumque vetuſtate natalium, et numero, dignitateque graviſſimorum virorum eminere iactetur. perbene igitur cum Cl. Philagrio le Roy concludo (*).

Priſca docent, nova delectant, eclectica ſector;
nam neque priſca mihi, nec nova, vera placent.
Libera nullius iuravi in verba Magiſtri,
ſola Magiſtra mihi cum ratione fides.
Hæc teneo, quæ ſana docet ratio eſſe tenenda
dogmata, Romana non inhibente fide.

Poſt-

(*) Ad calcem Præfationis in philoſoph. radica: eclect.

Poſtquam igitur Philoſophiam regularem (ſeu potius Regularium) eclectice diſponendam eſſe luculenter hucusque oſtendi: oporteret inſuper, ut de ſelectu materiarum, quarum diſcuſſio, et illuſtratio neceſſario, et utiliter ſuſcipienda eſſet, latiori calamo adhucdum differerem. talis autem ſelectus in Aſceteriis monaſticis rationem eſſe habendam, cum Cl. Mabillonio profundiſſimi Religioſi dudum agnoverunt, videlicet ne iuvenum Clericorum mentes nimis novaturientes, et ad turpitudinem muliebrem usque curioſæ evadant. apud Religioſos

Multa etenim bene tecta latent, neſcitaque proſunt (*).

ut itaque nec in hac providentia partibus meis deſim: adiicere paro huic diſſertatiunculæ ſyſtema quoddam problematicum alicuius Philoſophiæ in monaſteriis tradendæ, in quo ſeriem materiarum aut neceſſario, aut utiliter pertractandarum contexui. Ipſus ego hoc ſyſtemate uſus ſum, cum placita philoſophica confratribus meis ad calamum dare iuſſus ſum. Ordinem quoque in eodem diſponendo, ſingularem adhibere tentavi (fateor) ex modeſta quadam novaturiendi lubedine; ut ſaltem inter corroſa quædam vetuſtatis fragmenta, aliquid novi appareret, ne occidat miſerum crambe repetita Magiſtrum: aut amaris criticorum ſibilis pateam, ſi in opuſculo recenti anatomia utar lippis tonſoribusque nota. cum etiam

\- - - - *citharœdus*
ridetur, chorda qui ſemper oberrat eadem (**).

Eum etiam in finem non reformidavi opinionibus quibusdam etiam minus frequentibus interdum accedere, ut per contraria iuxta ſe poſita veritas faciliori via erui valeat, et diſputandi zelus recentem continuo inveniret fomitem. Interim tamen nulla ratione Philoſophos religioſos obligatos volo, ut eamdem mecum amplectantur

(*) S. Proſper in carm. de ingrat.
(**) Horat. in arte.

tur opinionem aut distributionem materiarum sectentur; nam *velle suum cuique est*, *nec voto vivitur uno*. Salvo enim meliori aliorum iudicio, cui me quoque lubens submitto, in præsenti negotio id unice tentavi effectui mancipare, ut utilis, et sobria Philosophia monasteriis restituatur præcise ad usum domesticorum Religiosorum; non enim diffiteor aliam rationem prorsus ineundam esse in illis sacris familiis, ex quarum literatis gremiis Viri profundissimi ad munia Professoria in *studiis publicis*, aut *Academiis* mixto auditorio Regularium, et Secularium præditis subeunda avocantur. si itaque in athenæis domesticis Religiosi Philosophi eas sufficienter penetraverint materias, quarum ego in præsenti systemate numerum inii; Medius fidius! nullus dubito: quin dignissimi evaserint, ut ad altius theosophiæ forum, ac sacræ themidis tribunal hoc philosophico ancili præmuniti ascendant. Non nescio equidem susceptum hocce negotium non solum vires meas altius transcendere, sed et fulmina et odia Scholasticorum plus quam vatiniana in caput meum provocare, Noviorum vero Philosophorum sarcasmis, criticorum ferulis, quin et contribulium invidiis memet exponere. At non exhorreo Palinodiam canere, aut saniora edoceri, si modo humano, vel etiam fraterno, et sincero corrigar. Id si præstare refugiant; et fulmina, et odia, sarcasmos, et ferulas et invidias, excandescentibus Scholasticis, ringentibus novioribus, expallescentibus criticis, ac tabescentibus contribulibus velut Thriorum strepitum negligo, et eludo. Sapere enim audeo, et sapere ad sobrietatem, sapere cum aliis, non supra alios: placeat ergo saltem conatus! *in magnis etenim voluisse sat est*. Quemadmodum in præfatione præsentis opellæ candide

DIXI.

SYSTE-

SYSTEMATIS
PROBLEMATICI
PARS PRIMA
COMPLECTENS
PROLEGOMENA
IN
UNIVERSAM PHILOSOPHIAM,
CUM LOGICA.

(*) Ubicunque numeri Romani dppoſiti conſpiciuntur, ibi decretoriæ indicantur Poſitiones; quas Author in ſolenni exercitatione propugnandas ſuſcepit.

PROLEGOMENA
in
Universam Philosophiam.

I. Philosophia est rerum divinarum, et humanarum, caussarumque, quibus hæ res continentur scientia: seu, ut Ill. Wolfio placet, est scientia rationis sufficientis eorum, quæ sunt, aut fiunt. Hanc exsistere contra Acatalepticos, et Scepticos evidenter ostenditur: licet in multis adhucdum valde imperfecta esse deprehendatur.

Assertio hæc ut legitime deducatur, applicanda est *methodus syncretistica*, cuius ordinem, et leges in Dissertatione recensui. Præmittantur nimirum *observationes* de cognitione humana, eiusdemque *definitio*, *divisio*,

aliaque ad illam pertinentia. Ex cognitione deinde infertur rerum scientia, quid sit, et quousque se extendat? referuntur scientiæ hostes, nempe Acataleptici, et Sceptici, quorum argumenta, et fundamenta fideliter expenduntur. tandem statuitur Propositio Ima: *datur multiplex rerum scientia certa, ac evidens.* IIda. *Hæc tamen scientia ex magna adhuc parte imperfecta est.* IIItia. *Datur itaque, et exsistit Philosophia, licet necdum ad amussim perfecta.* nimirum iuxta datas observationes, definitiones &c. His tandem præstabilitis enervantur oppositа Scepticorum, et Acatalepticorum, aliorumque huius furfuris Philosophastrorum. Hanc itaque philosophandi methodum in omnibus materiis per decursum Philosophiæ continuo adhibendam suadeo: eoquod non solum a Viris eruditissimis rata habetur, sed omnino facilis, et perspicua est. Ne vero in præsenti systemate brevitatis cancellos excedam, sufficiat mihi, perbreve hoc Schema exhibuisse; qua ratione etenim hæc methodus materiis, aut materiæ methodo applicandæ sint, Prudens Lector facile poterit dispicere.

Ex hac Philosophiæ definitione ulterius eruitur *obiectum* eiusdem qua *materiale*, qua *formale*. Ob diversitatem, ac multiplicitatem autem materialis obiecti scientia hæc dividitur in *Logicam*, *Metaphysicam*, *Physicam*, et *Ethicam*. ulterior divisio cuiuslibet partis reiicienda est ad eum locum, ubi singulæ partes pro dignitate discutiuntur.

Subiectum huius scientiæ capax in præsenti providentia est *homo* mente cogitante, iusta organorum dispositione, sanaque sensuum harmonia præditus. adiici potest huic discursui perbrevis disquisitio, quid nomine mentis humanæ veniat? quæ eiusdem facultates? quid, et quotuplices sint sensus? quæ corporis humani organisatio

niſatio ad ſenſuum miniſterium ordinata? fuſiora enim ſuppeditat Pſychologia, et Anthropologia.

Finis tandem, ad quem omnes Philoſophiæ partes collimant, ex parte intellectus humani cognitio veritatis eſt, ex parte voluntatis autem exercitium virtutis. *Media* ad hunc finem conſequendum ſunt mentis, ſenſuumque operationes ad regulas veræ Philoſophiæ compoſitæ.

Si per temporis anguſtias licet, afferri quoque poteſt Diſſertatio hiſtorico-critica, in qua Philoſophiæ natales, varius apud diverſas gentes cultus, ſectarum diverſarum ſcaturigo, earumque cum proſpera, tum adverſa fata, defectus, et incrementa pro multiplici temporum viciſſitudine ſuccincte explanari poſſunt; cum ſimilis notitia diſcipulis non minus iucunda, quam utilis obvenire queat. Ex qua denique diſſertatione opportunum erit inferre: quod

II. Non expedit Philoſopho unum ſolummodo inſequi Philoſophum, aut in unius Magiſtri verba iurare: ſed iuvat magis ex diverſis ea, quæ veriora, meliora, et utiliora obveniunt, ſeligere, ut adeo Secta Philoſophorum eclectica ceteris iure, et merito præferatur.

LOGICA
sive
Ars cogitandi, et differendi.

III. Logica est scientia actuum rationis directiva in ordine ad veritatem investigandam, et illam inventam cum aliis communicandam.

Sub hac definitione tam Logica *naturalis*, quam *artificialis* a Zenone Eleatensi adornata, comprehenditur. Scholasticorum næniæ, de Logica *an sit Virtus intellectualis? an scientia practica? an ars?* &c. vel omnino breviſſime deducantur, vel etiam absque formidine detrimenti omittantur.

Finis scientiæ huius ex eadem definitione luculenter erui potest.

Obiectum illius sunt Cogitationes Mentis humanæ eo ordine dispositæ, ut ad verum cognoscendum, et discernendum habiles evadant. Ipse vero cogitationum nostrarum *ordo* ex duplici Mentis nostræ operatione descendit; simplici videlicet *rei apprehensione*, et *eiusdem apprehensæ diiudicatione*. An vero tres, aut omnino quatuor mentis operationes sint adstruendæ, discussionem exiguæ utilitatis, adeoque fusiori calamo indignam esse arbitror.

§. I.

DE PRIMA MENTIS HUMANAE OPERATIONE.

Eorum quæ ſunt, aut fiunt conſcii reddimur, ſi certa quadam ratione ſenſus noſtri afficiantur; qua affectione poſita, illico in mente noſtra oritur imago quædam, ac repræſentatio earum rerum, a quibus organi ſenſorii affectio profecta eſt. Hanc imaginem, quæ recepto vocabulo *Idea*, vel *Notio rei* nuncupatur, cum Mens humana intuendo cognoſcit nihil de ea aut affirmando, vel negando, dicitur illa habere ſimplicem eiusdem apprehenſionem.

Cum vero multiplicia dentur, ac varia obiecta, quæ in ſenſus noſtros agunt, et ea Mens humana diverſo modo cognoſcit: neceſſario fluit, diverſas quoque a nobis acquiri ideas. hinc idearum differentia alia bene dicitur *materialis*, quæ ex hac ipſa obiectorum varietate emergit: alia *formalis*, quæ ex diverſitate modi, quo in ideas ferimur, ſcaturit.

Materialiter igitur diverſæ ſunt ideæ inprimis *ratione originis*. nempe aliæ ſunt per ſenſus externos *adventitiæ* aliæ ex adventitiis *factitiæ*. cum vero perſuaſum mihi eſt: omnem prorſus cognitionem ſenſuum adminiculo acquiri vix poſſe. Hinc, licet contra torrentem modernorum Philoſophorum luctandum mihi ſit, attamen

IV. Admittendas esse iudico saltem ideas rerum spiritualium, et universalium innatas (*).

Ratione naturæ vero ideæ dicuntur aut *simplices*, aut *compositæ*, pro diversitate nimirum *notarum*, quæ in diversis obiectis deprehenduntur.

Formaliter autem diversæ noscuntur ideæ *ratione obiecti*, aliæ nempe sunt *singulares*, *particulares*, *universales* &c. his commode accenseri possunt decantata apud Scholasticos *Porphyrii universalia.*

Ratione modi ideæ sunt aut *claræ*, *distinctæ* aut obscuræ, *confusæ* &c. Ad earumdem claritatem, et distinctionem determinandam tam antiquiores, quam recentiores varias *categorias* confinxerunt; quarum tamen mentio non nisi brevi manu expedienda est.

Summopere studendum est, ut ideas claras, distinctas, et veras acquiramus; qua de re opportunum erit detegere morbos animi, quibus Mens nostra imbecilla redditur ad sinceras rerum ideas conformandas, his industrie discussis subiungi merentur non nullæ *regulæ efformationi idearum deservientes*, quarum ope iisdem animi morbis succurrere pronum erit (**).

Ut

(*) Etiamsi alii placuerit sententiam oppositam apprehendere, neutiquam tamen in seriem, et cohærentiam systematis peccare poterit. ut infra patebit.

(**) Quæstio illa, an simplex, aut idea composita solum vera, vel etiam falsa esse possit? discutienda mihi non videtur, nisi quis materiam in prima statim Logicæ fronte disputationibus suppeditare desiderat. cum aliunde certum sit, ideam aliquam dari non posse, nisi quæ sit conformis obiecto aut repræsentato, aut repræsentando.

Ut autem cognitiones, ſeu ideas nos inter communicare valeamus, opus pariter eſt ſignis externis una et expreſſis ſenſus noſtros ferientibus ; enimvero nec nobis datum eſt, aliorum cogitationes, nec cuiquam mortalium, noſtras in ſe ipſis intueri. Hæc itaque ſigna ea ratione ſunt conſtituta, ut præter ideam ſui, alterius quoque rei ſignificatæ ideam ingenerent. Licet autem dentur ſigna varii generis, noſtrarum tamen idearum ſigna ſunt *voces humanæ articulatæ*. Has voces conſiderant Philoſophi quatenus aliquam notionem denotant, easque in ordine ad uſum ſcientificum *terminos*, ſeu *nomina* vocant, quæ ſi ſignificent ideam rei velut per ſe exſiſtentem, erunt *ſubſtantiva* ; ſin autem indigitent ideam, quæ rem aliqua qualitate affectam repræſentat, dicuntur *adiectiva*, cetera Grammaticorum curæ illis non ſunt. In conſideratione autem Logica omnis terminus eſt nomen, quod in aliqua propoſitione poteſt affirmari, aut negari, et in quod ipſa Propoſitio reſolvi poteſt tanquam in ſubiectum, et attributum.

Terminorum varietas in ordine ad uſum dialecticum habetur ex reſpectu *rei ſignificantis*, *rei ſignificatæ* *modi ſignificandi*, aut *relatione unius termini ad alium*. hæc tamen terminorum diviſio compendioſe perſtringenda eſt. utilius autem recenſeri poſſunt quædam *regulæ ad uſum terminorum pertinentes* velut quædam *Principia artis Hermeneuticæ*.

§. II.

DE ALTERA MENTIS HUMANAE OPERATIONE.

Mens noſtra, cum duas ideas apprehendit, eas inter ſeſe comparare ſolet, qua comparatione facta deprehendit nonnunquam in una rationem contineri,

cur et altera rei per priorem repræſentatæ conveniat: aut viciſſim, cur diſconveniat: in quo caſu Mens dicitur rem aliquam diiudicare, et quidem ſi ideæ convenire noſcuntur, *iudicium affirmativum*, ſi vero diſconveniunt, *iudicium negativum* dabitur. Ipſum ergo iudicium intra nos exſiſtens eſt actus mentis duas ideas iungentis, vel ſeparantis (*).

Perfectiones iudiciorum præcipuæ ſunt: *veritas*, *evidentia*, *certitudo*, *infallibilitas*, et *probabilitas*. his directe opponuntur: *falſitas*, *obſcuritas*, *incertitudo*, *fallibilitas*, et *improbabilitas*. quatemus nempe iudicia noſtra ſpectantur relate *ad obiecta*, *ad ideas prævias*, et comparate *ad ipſam mentem*. Fideliter deinde indagandum eſt, cur iudicia noſtra dictis perfectionibus ſubinde deſtituantur; nimirum *ob vitioſas ideas*, *ſiniſtram vocabulorum interpretationem*, *philautiam*, *præiudicia*, et *præcipitantiam*. quibus errorum cauſſis illico remedia quædam opponenda ſunt.

Quemadmodum vero ideas mentis per ſigna, ſeu terminos exprimimus: ſic pariter iudicia, quæ mente concepimus, verbis manifeſtare ſolemus, quæ verba *Enuntiationes*, aut *Propoſitiones* nuncupamus, in quibus affirmando, aut negando unum enuntiatur de altero.

Quæ-

(*) Solent hic aliqui quæſtionem controverſam inſtituere contra Carteſianos: *an iudicium ſit actus intellectus, an voluntatis?* ego ſane multum utilitatis huic quæſtioni ineſſe vix ſuſpicio. Id tamen cuilibet diſcutiendum liberelinquo: *an iudicia noſtra a voluntate pendeant?*

Quælibet Propoſitio conſtat *ſubiecto*, *attributo*, et *copula*. termini in Propoſitionibus diverſimode uſurpari ſolent; octo plerumque hac de re modi familiares exſiſtunt: nempe *ſtatus diſtractio*, *ampliatio*, *reſtrictio*, *diminutio*, *alienatio*, *appellatio*, et præcipue *ſuppoſitio*, cuius uſus cum valde frequens eſt, eiusdem regulæ negligendæ non ſunt.

Diverſitas enuntiationum oritur ex earumdem *materia*, *forma*, *quantitate*, et *qualitate*. Species earum præcipuæ, et primariæ cenſentur eſſe *Definitio*, et *Diviſio*, quarum naturam ut utiliter penetremus, Regulæ, quibus utraque dirigitur, fideliter conſiderandæ ſunt.

Proprietates Propoſitionum aliæ ſunt *ſimplices*, nempe *veritas*, aut *falſitas*, ſive conformitas, et difformitas propoſitionis cum obiecto. Aliæ ſunt *complexæ*, videlicet *oppoſitio*, *æquipollentia*, et *converſio*. Omnes iſtæ proprietates certis iterum regulis alligatæ ſunt, quarum brevis mentio fieri poteſt præcipue de extremis duabus, quarum uſus vix non penitus exolevit.

Quemadmodum autem ex idearum comparatione eruitur rei alicuius diiudicatio. ita pariter ex collatis pluribus Enuntiationibus, ſeu Propoſitionibus, nova iterum iudicii ſpecies emergit, videlicet *Diſcurſus*, aut *Ratiocinatio*, quæ ope *argumentationis* perficitur. Huius vero octo vulgariter enumerantur ſpecies: nimirum *Syllogiſmus*, *Enthymema* (de quibus paulo inferius) *Dilema*, *Epicherema*, *Proſyllogiſmus*, *Sorites*, *Inductio*, quam ſummopere commendat Verulamius, *Exemplum*, *Parabola*, et *Apologus*. Affectiones harum ſpecierum præcipuæ cenſentur *Evidentia*, *Demonſtratio*, *Certi-*

Certitudo, et *Probabilitas*. Pro legitimo argumentationis uſu Dialectici quasdam Leges ſanxerunt, quas *regulas bonæ conſequentiæ* appellitant; variasque ſolent addere fallacias, quæ ex Paralogiſmis oriuntur. Hæc autem ſingula ſuccincto calamo expedienda cenſeo.

§. III.

DE CRITERIO VERI, ET FALSI.

Omne ſtudium, quod Philoſophus, et præcipue Logicus in ſe ſuſcipit, ſolius veritatis amore inchoandum, deducendum, ac terminandum eſt; hac adepta, quilibet in hac vita beatus ſit, oportet. in huius veritatis gratiam aut inveniendæ, aut ſtabiliendæ Mens humana continuo ideas concipit, et iudicia efformat. Cum igitur veritatis ſtudium finis ſit operationum Mentis; conſultum utique erit, ut quædam characteres ac notæ conſtituantur, queis poſitis intellectus humanus tandem verum ſeſe apprehendiſſe cognoſcat: hæ autem characteres in complexo ſumtæ *criterium veritatis* vocitantur, quorum præcipue ſeptem enumerantur: nimirum *evidentia*, *conſcientia intima*, *teſtimonium ſenſuum*, *experientia*, *perſuaſio communis*, et *authoritas utraque* divina, ſcilicet, et humana, ac tandem *ratio*. ut autem hæ notæ criticæ ad veritatem detegendam rite applicentur, cuiuslibet notæ conditio, leges, et cautellæ ſumma induſtria conſiderandæ ſunt (*).

In

(*) Pronum erit cuivis Magiſtro, dum præſentes criterii notas deſcribit, regulas quasdam de earum in variis rebus ac caſibus uſu ſuperaddere, quæ tyronibus velut non nulla principia artis criticæ ſuppeditare poſſunt.

In quonam autem ſenſu enumerata criteria pro prima veritatis regula aſſumenda ſint, Philoſophi ab invicem diſcedunt; mihi opportunum viſum eſt cum Cl. Leibnitzio ſentire, adeoque

V. Evidentiam intellectus, ſeu rationis, ſenſuum, ac utriusque authoritatis pro prima veritatis regula ſtatuo.

Ex præſentia, et abſentia horum criteriorum Mens humana circa veritatem diiudicandam in varios ſtatus coniicitur; tales ſunt: *Scientia*, *fides*, *opinio*, *dubium*, *ſuſpicio*, *error*, ac *ſuperſtitio.* quæcunque ad hos ſtatus pertinent, ſolicite diſcutiantur. inanes tamen illæ quæſtiunculæ a Scholaſticis ad ravim usque declamari ſolitæ, de concurſu fidei, et ſcientiæ, aut opinionis, breviſſime abſolvantur: utilius enim occupabuntur diſcipuli, ſi illarum loco ſobriis *artis criticæ* principiis imbuantur, quibus ideas, et iudicia cum propria, tum aliorum exacte diſcutere valeant, ſicque cordate cogitare, et provide iudicare poſſint: cum per eiusmodi artis criticæ regulas intellectus longe acutior redditur, quam per omnes ſcholaſticæ Dialecticæ leges ac ſubtilitatis.

§. IIII.

DE METHODO SCIENTIFICA.

Ea eſt mentis humanæ brevitas, ut plerasque veritates non niſi longa iudiciorum, ac ratiocinationum ſerie aſſequi valeamus; quæ ſeries ut ne confuſionem

nem potius, obſcuritatemque pariat, quam ſtudium veritatis adiuvet, debitus in ea ſervandus eſt ordo, quem ad maximam partem dirigit *Methodus*, ſive ars bene diſponendi ſeriem cogitationum, ac enuntiationum aut ad ignotam veritatem inveſtigandam, aut ad cognitam, aliis explicandam (*). Dotes huius artis præcipuæ ſunt *claritas*, *brevitas*, *ſoliditas*. Diviſio methodi communiter fit in *Analyticam* ſeu *reſolutionis*, et *ſyntheticam* ſeu *compoſitionis* methodum: *ſocraticum* autem ſermocinandi *modum* ad hanc artem proprie referri poſſe, vix inducor.

Methodi, quæ hodie in ſcientiis familiares evaſerunt, ſunt præprimis *mathematica*, *ſcholaſtica*, et *ſyllogiſtica*. quælibet earum congruis dirigitur legibus. Maxime interea controverſum eſt, *quænam methodus tradendis ſcientiis gratior adhibenda ſit*? Moderni quidem omnes pugnant pro methodo mathematica, et ſcholaſticam cum ſyllogiſtica plenis buccis exſibilant. contra hos autem mihi

VI. ſtatuendum videtur: Methodum mathematicam ſimpliciter neceſſariam non eſſe, neque ſcholaſticam temere reiiciendam.

VII.

(*) Quæſtio olim agitari ſolita: *an methodus ſit diſtinctæ mentis operatio?* ſatis frivola, adeoque diſcuſſione indigna videtur.

VII. Syſtemati autem noſtro ſatis conſuli per quamdam methodum mixtam, cui prorſus utiliter adiungitur artificium ſyllogiſticum (*).

Hoc ipſum vero artificium ſyllogiſticum perſpicaciſſimo Stagiritæi ſenis ingenio acceptum referimus. Ipſe tamen ſyllogiſmus eſt *argumentatio, qua duæ ideæ, vel duo termini ſingillatim, et explicite comparantur cum tertio, ut inde concludatur eorum convenientia, et diſconvenientia.* Eiusdem varietas deſumitur a *materia*, *forma*, *quantitate*, et *qualitate* earum propoſitionum, ex quibus componitur. Ad legitimum argumentationis huius uſum procurandum vetuſtiores Dialectici varia ſcitu digna compilarunt: de Principiis ſyllogiſmi extrinſecis, et intrinſecis, de illius modis ac figuris, quas etiam carmine quodam magico comprehenderunt: de Regulis ſyllogiſmorum generalibus et ſpecialibus &c. quæ tamen omnia non niſi ſuccincte percurrenda ſunt, ne in profundam ſummuliſtarum abyſſum præcipites volvamur.

Atque Hæc tandem ſunt, quæ ad capeſſendas Dialecticæ diſciplinas Religioſo brevitatis, et utilitatis Studioſo ſufficere poſſe arbitror, meoque ſaltem periculo ſufficere quoque expertus ſum. ut autem propoſitas in hoc ſyſtemate Logico materias pro dignitate excolerem, uſus ſum opera, et operibus Clariſſimorum Dialecticorum Pourchotii, Corſini, Du Hamel, Antonii Genuenſis, Fortunati a Brixia, Authoris artis cogitandi, Ioan-

(*) De hac methodo vide in Diſſert.

Ioannis Clerici, Hauſer, Ioſephi Mangold, Leonardi Grueber Benedictini Mettenſis, Mako, Ivancſics, Donati a Transfiguratione Domini, Udalrici Weis, aliorumque: ut adeo non mea, ſed iſtorum Philoſophorum potius ſenſa retulerim (*).

(*) Neque etiam turpe mihi viſum eſt aliena vivere quadra. nonne enim viri iſti publicæ utilitatis ſtudioſi fuerunt? ut quid ergo ſcriptis tantorum authorum publice, et ſine invidia uti, crimini ducatur? imo mihimet ipſi indoleo, quod adeo curta ſuppellex Philoſophorum mihi ad manus ſit, forſitan dignius quidquam meliori minerva in chartam e calamo defluxiſſet.

SYSTE-

SYSTEMATIS
PROBLEMATICI
PARS SECUNDA
COMPLECTENS
METAPHYSICAM.

MELVILLE'S AMERICAN

CONTINENTAL

PAPER SECONDARY

BIBLIOTHECA

CLASSICA

Metaphyſica iuxta vim nominis ſcientia ſupra, vel præter naturam audit. communiter tamen definitur eſſe: *ſcientia theoretica, quæ circa res a materiæ commercio ſolutas verſatur.* Cumque res duplici ratione a concretione materiæ poſſint liberæ concipi; nimirum vel per intellectus noſtri abſtractionem, ac præciſionem, vel per ipſam rei naturam. Hinc Metaphyſicæ obiecta cenſentur eſſe *notiones, ac cauſſæ rerum univerſales, ac generales,* utpote quas mentis operatione a materia ſecernimus: et *ſpiritus cum increati, tum creati,* quos ipſa eorum natura a mole materiali eximios eſſe voluit. Ob hanc igitur obiectorum discrepantiam Metaphyſica bene diſpeſcitur in *Ontologiam, Aetiologiam* ac *Pnevmatologiam*, quæ nimirum doctrinam de Entibus in genere, de Entium cauſſis, et ſpiritibus ſuppeditant. Eapropter opportunum quoque cuilibet erit, tres iſtas Metaphyſicæ partes triplici pariter ſectione expedire.

SECTIO PRIMA

COMPLECTENS

ONTOLOGIAM

ſeu

Doctrinam de Entibus.

Ontologia idem ſonat, ac doctrina de ente. Ens autem omne illud dicitur, *cui non repugnat exiſtere*, ſive ſubſtantia illud ſit, ſive modus eiusdem.

Principia huius ſcientiæ primaria ſunt illud, quod vocant *contradictionis*, et alterum *rationis ſufficientis* (*). Altercatio tamen illa, quodnam ex his principiis ſit primum? ſecure omitti poteſt: utilius vero cuilibet principio axiomata ex utroque promanantia ſubiunguntur.

Cum autem ens omne illud ſit, cui non repugnat exſiſtere, hoc ipſum neceſſario in ſe continere debet rationem huius non repugnantiæ, quæ alia non eſt, ac ipſius entis *Poſſibilitas*. famoſa circumfertur Poſſibilitatis diviſio in *extrinſecam*, et *intrinſecam*, quam tamen Thomiſtæ magno repudiant ſtomacho contenti ſola poſſibilitate rerum extrinſeca, ſeu omnipotentia divina (**). Contra hos autem mihi ſaltem

VIII. Videtur ſtatuendum: dari præter poſſibilitatem rerum extrinſecam aliam pariter ipſis rebus intrinſecam.

Poſſibilitati e regione opponitur entium *impoſſibilitas*, cui merito adnumerari merentur *Negationes phyſicæ*, et infamia apud Scholaſticos *Entia rationis*, quæ olim nobiliſſimam Metaphyſicæ partem conſtituebant.

Complementum poſſibilitatis eſt ipſa entis *Exſiſtentia*, ſeu quando eſſentia entis incipit adeſſe, aut extra

(*) III. Wolfius addit quoque tertium, nempe *Principium indiſcernibilium*, quod tamen hodie paucis Philoſophis probatur, ut videre eſt apud celeberrimum Voltairium *daus la Comparaiſon de la Philoſ. de Mr. Newton, et Leibniz.*

(**) Hinc iurgia prima ſonare incipiunt inter Thomiſtas, et Patres e S. J. aliosque fautores ſcientiæ mediæ. quapropter haud vanum erit, quæſtionem hanc non nihil attente diſcutere.

tra ſuas cauſſas collocatur. Quæſtio *illa* inter Thomiſtas, et RRes: An eſſentia, et actualis exſiſtentia entis creati inter ſe diſtinguantur? ſcholaſticen ſapit, adeoque non niſi breviter abſolvenda eſt.

Entia ab invicem differre dicuntur tum numero, tum genere, et ſi eodem ſub genere comprehenſa habent diſſimilitudinem eſſentialem, ſpecie quoque differunt. quæ regula non minus ad ipſam ſubſtantiam, quam ſubſtantiæ modum ſeſe extendit.

In diſtributione entium conſideratione digna habentur: *Ens neceſſarium*, *contingens*, *ſingulare*, *univerſale* (pervetuſta de univerſali apud Scholaſticos altercatio utilius omittitur, quam ut uberiori calamo illuſtretur) *ſimplex*, *compoſitum*, (quæcunque hic de denominationibus, aut concretis afferri conſueverunt, ea non niſi ſuccinctis verbis perſtringantur) et tandem *ens ſubſtantiale* ſeu *ſubſtantia*, ad quam referendæ ſunt notiones *ſubſiſtentiæ*, *ſuppoſiti*, et *Perſonæ*. *Accidentia* vero e claſſe entium penitus expungenda ſunt, et ad modos entis reiicienda. Quæcunque hic non nulli de *ente corporeo*, et *quanto* diſſerere aſſolent, ego interea pro meliori opportunitate ad Phyſicam reiicio.

Entium affectiones præcipuæ cenſentur *Veritas*, *Bonitas*, *Unitas*, et *Identitas*, cui opponitur *diſtinctio* tam *realis*, quam *formalis*. Cum diſtinctionis frequens mentio etiam in Theologia recurrat, negligendæ utique non ſunt characteriſticæ Scotiſtarum, et Thomiſtarum opiniones, *de diſtinctione* nimirum *ex natura rei formali*, et *virtuali* cum *intrinſeca*, tum *extrinſeca*. Illam tamen quæſtionem controverſam antiqua iamiam civitate donatam: qualis inter gradus metaphyſicos diſtinctio admittenda ſit? cuilibet pro lubedine diſcutiendam relinquo: meo ſaltem iudicio tam inſignis utilitas,

litas, quam Scholaſtici adeo iactant, inde expectanda non eſt.

Inter entium modos eminet eorumdem *quantitas*, et *qualitas*, ex quarum concordia, et diſcordia entium *ſimilitudo*, et *diſſimilitudo*, *æqualitas*, aut *inæqualitas* ac tandem ipſa *relatio*, ſeu proportio, atque ordo reſultat, quo unum ens ſe habet comparate ad alterum. dari relationem *tranſcendentalem*, et *prædicamentalem* a parte rei, contra Stoicos probandum quidem eſt. lis tamen illa de Scotiſtarum entitate ſuperaddita fundamento, termino, et rationi ad forum frivolarium Scholaſticorum remittenda eſt.

Quodſi ordo, ac proportio entium ſpectatur relate ad *locum*, et *tempus* (implicat enim, ut res exſiſtat, et ſit aut nunquam, aut nuſpiam) entia inter ſe erunt aut ſimultanea, ſeu coexſiſtentia, aut ſucceſſiva. Ens autem per hoc dicitur eſſe in loco, quod hanc potius ſpatii partem, ac aliam præſentia ſua occupet. Ipſa tamen

IX. Ratio loci non bene, et proprie explicatur cum Carteſio per ſolam ſuperficiem corporis ambientis: adeoque præter locum externum admittendus eſt internus, qui eſt ſpatium ab ipſis corporibus occupatum.

Dumque ens aliquod in loco conſtitutum exſiſtentiam ſuam continuat, *durare* illud dicitur. hæc autem entis duratio ſi initio, et fine caret *æternitas*, ſi initium habet

habet non autem finem *ævum*, ſi vero initium et finem habuerit, *tempus* dicitur; atque hoc denuo duplex eſt: nimirum *tempus internum*, ſeu ſucceſſiva rei exſiſtentis duratio: et *externum*, ſeu menſura temporis interni conſtituta in motu regulari aſtrorum diurno, et annuo præſertim ſolis, ac lunæ.

Non exiguam certe eruditionis partem vendicabit ſibi hæc de tempore pertractatio, ſi eidem ſuccincta *Chronographiæ Elementa* adiiciantur de *Die*, *Hebdomada*, *Menſe*, *Anno*, *Cyclo ſolari*, *et lunari*, *Indictione*, *Periodo Juliana*, *et Gregoriana*, *Epochis*, *Epactis &c.*

Entia omnia, cuiuscumque tandem ſint naturæ, aut limite aliquo circumſcribuntur, vel illo carent: ac ideo aliqua dicuntur *finita*, alia *infinita*. Quoniam vero entium finitorum, ac finium perſpicua ſatis idea mentibus noſtris obverſatur, hinc de illis nulla prorſus difficultas habetur; maior tamen exurgit de eorumdem infinitudine. Ipſum autem infinitum ſpectari poteſt relate ad entium *extenſionem*, *durationem*, *numerum*, et *perfectionem*: quatenus videlicet dicimus aliquod ens eſſe infinitum *ſecundum eſſentiam*, ſive *ſecundum quid*. celebris quoque in Scholis eſt infiniti diviſio in *categorematicum*, et *ſyncategorematicum*. quoniam vero utriusque infiniti tanta eſt ſubtilitas, ut ab intellectu creato comprehendi nulla ratione poſſit, niſi inanibus coniecturis conquieſcere deſideremus: qua de re Religioſo Philoſopho ſufficere arbitror, ſi miſſis Scholaſticorum diſceptatiunculis ſobriam notitiam de natura, et proprietatibus utriusque infiniti ſibi comparaverit.

SECTIO SECUNDA

COMPLECTENS

AETIOLOGIAM

seu

Doctrinam de Cauſſis.

Cauſſa in genere dicitur illud *Principium, unde aliquid, quod de ſe eſt inſufficiens ad exſiſtendum, fit, et exſiſtentiam habet.* illud autem, quod a cauſſa fit, *Effectus*, ſeu *cauſſatum* appellitatur.

Princeps cauſſarum diſtributio fit in *materialem, formalem, finalem, moralem*, et *idealem:* queis me iudice accenſeri poteſt *Natura*, et *Ars*, ſive cauſſa naturalis, et artificialis. Naturæ autem nomine indigitatur *Principium intrinſecum earum omnium ſenſibilium mutationum, motuum, ſeu effectuum, quos in, et ab ipſis rebus veluti ſponte fieri videmus.* Effectus ergo illius erit *Naturale*, ſeu omne id, cuius ratio ſufficiens in natura creata continetur. ſecus enim dabitur aut *ſupernaturale*, aut *violentum.* Perantiquæ illæ quæſtiunculæ: an DEUS creaturis, vel an creaturæ ad invicem violentiam inferre queant? non niſi breviter reſolvendæ ſunt. Artis nomine deſignatur *Principium extrinſecum ſui artefacti.* Artem naturæ ſimiam eſſe edocent nos mira, et captum humanum vix non ſuperantia artefacta, ſi tamen obviis quibusvis narratiunculis fidem adhibere velimus.

Perfectiones cauſſarum cenſentur eſſe earum *Prioritas*, qua effectus ſuos aliquomodo antecedunt. *Præcontinentia perfectionis effectus*, ac ipſa tandem *virtus efficiens*,

X. Mutua tamen naturæ prioritas inter duas cauſſas phyſicas tam eiusdem, quam diverſæ claſſis pro eodem inſtanti, et quoad primam productionem perpetuo implicat.

An vero eadem naturæ prioritas inter duas cauſſas morales, aut unam moralem, et alteram phyſicam ſubſiſtere queat? parum utile videtur uberiori pagina disquirere. latius e diuerſo excurrendum eſt, ſi ſermo ſit de virtute operatrice, quæ cauſſas creatas efficientes, et vere activas reddit, ac efficit. atque

XI. Hac virtute activa, et efficiente pollent revera cauſſæ creatæ: nec ſunt meræ cauſſæ occaſionales, ut Carteſio, eiusque ſequacibus placet.

Porro *actiones* cauſſarum aliæ ſunt *immanentes*, aliæ *tranſeuntes*, et quidem aliter *ad intra*, aliter *ad extra*: atque iterum diverſo modo ſe habent in ſubſtantiis immaterialibus qua creatis, qua increatis, et ſubſtantiis corporeis.

XII. Actio tamen creativa cauſſis creatis nec principaliter, nec inſtrumentaliter attribui valet.

XIII. Imo neque actio entitatis novæ eductiva ad mentem Scholasticorum.

Conditiones a causſa efficiente ad agendum requisitæ præcipuæ sunt: *causſæ determinatio*, *subiecti dispositio*, *seu aptitudo*: *absentia impedimentorum inauferibilium*: et vel maxime *applicatio causſæ ad subiectum*: causſa etenim efficiens creata non agit, nisi passo sit applicata per contiguitatem vel *immediatione suppositi*, vel *immediatione virtutis*, ut adeo

XIIII. Causſa creata efficiens nec naturaliter, nec supernaturaliter in distans, aut per saltum agere possit.

SECTIO TERTIA

COMPLECTENS

PNEVMATOLOGIAM

sive

Doctrinam de Spiritibus.

Spiritus nomine intelligimus omnem *substantiam intellectu, et voluntate præditam.* Porro cum talis substantia vel increata esse concipitur, ut DEUS; vel creata ut *Angelus*, *Anima hominis*, aut *bruti*, merito etiam (quantum lumine naturali vacat) quadruplex Pnevmatologiæ obiectum statuimus, quod quadruplici pariter dissertatione discutiendum erit.

§. I.

DE THEOLOGIA NATURALI
sive
Doctrina de DEO.

DEI nomen cum auribus noſtris illabitur, illico mente concipimus *Ens a ſe exſiſtens, neceſſarium ſimpliciter, bonum, et in omni perfectionis linea infinitum.*

XV. Huius Entis ſupremi exſiſtentia lumine naturali adeo nitide relucet; ut, præterea quod ſingulis creaturis rationalibus idea DEI exſiſtentis a primo ſtatim vitæ momento congenita ſit (*).

XVI. Ea ipſa contra Machiavellum, Hobbeſium, non nullosque Theomachos politicos argumentis moralibus:

XVII. Contra Atheos præcipue Syſtematicos argumentis phyſicis; permiſſa etiam aliqua cauſſarum ſerie in infinitum procedente:

XVIII.

(*) Cohærenter ad poſit. IV.

XVIII. Imo adverſus Idealiſtas argumentis quoque metaphyſicis inconcuſſe demonſtrari poſſit.

Errores Platonis, Democriti, Davidis Dinantii, Petri Abailardi, Bened. Spinozæ, Ioan. Tolandi, aliorumque Pantheiſtarum, quos in determinanda DEI eſſentia errarunt, ratione naturali ſuffocandi ſunt: ac præcipue cavendum, ne ad Theologiam revelatam nimis proclivesſimus. ſufficiet igitur dixiſſe DEI eſſentiam eſſe cumulum omnium perfectionum, quin propterea ſolliciti reddamur, quinam revera conceptus DEI metaphyſicus ſit, aut phyſicus. ipſas vero perfectiones in conſideratione metaphyſica DEO ſub triplici notione attribui poſſe, facile eruitur.

Ex notione nimirum *Entis a ſe* contra Polytheiſtas infertur DEUM eſſentialiter eſſe *unum:* contra veteres Rabbinos *immutabilem:* contra Vorſtium Calvinicolam *æternum*, ac eſſentialiter *immenſum*, adeoque nec locorum, nec temporum cancellis circumſcriptum.

Ex notione *Spiritus ſimpliciſſimi* patet contra Anthropomorphitas DEUM eſſe Ασωματον, ſeu incoream ſubſtantiam omni concretione materiali carentem, ſummo inſuper intellectu, liberrimaque, ac immutabili voluntate præditam. Porro intellectus divinus in cognoſcendo limites neſcit: cum non ſolum res omnes præteritas, aut præſentes inſpicit; ſed et poſſibiles, futurasque ſub quacumque demum hypotheſi infallibiliter prævidet, ac præſcit,

XIX. Quin tamen hæc DEI præſcientia libertati creatæ inimica ſit.

Ingens hoc in loco ſuboritur Thomiſtas inter, Scotiſtas, et Recentiores quæſtio, nunquam non maximo tumultu exagitata: *quonam in medio DEUS res tum poſſibiles tum futuras prævideat? anne in decreto ſuo, quod modo prædeterminans, modo condeterminans appellitant? ſive in ſe ipſis?* interim tamen candide aſſero: ſub iudice adhucdum litem eſſe poſitam, num præſens quæſtio Philoſophis magis, quam Theologis diſcutienda ſit? ne tamen in re maximi (ut aiunt) momenti nihil dixiſſe videar, rotunde profiteor: DEUM videre poſſibilia in ſe ipſis, cum præſcindendo a decreto divino habeant cognoſcibilitatem in ſeipſis, poſſibilitatem nimirum intrinſecam (*). Atque eadem ex ratione, cum

XX. Contingentia ſeu abſolute, ſeu conditionate futura, præſcindendo ab omni decreto DEI (non tamen illud excludendo, prout falſo arguunt Thomiſtæ) continent in ſe formalem, et determinatam veritatem, aut falſitatem.

Eadem quoque DEUS videt in ſe ipſis. Hinc revera non apparet fundamentum, cur locum habere non poſſit diviſio ſcientiæ DEI in illam *ſimplicis intelligentiæ*, ſeu *poſſibilium*, *Mediam*, ſeu *conditionate*, et *Viſionis* ſive *abſolute futurorum*? audiendi itaque non ſunt Thraſones quidam, qui ſeſe reformandis ſcientiis natos eſſe arbi-

(*) Iuxta poſitionem VIII.

arbitrantur, atque ſcientiam mediam velut commentum Ieſuiticum Fonſecæ, aut Molinæ elato ſupercilio explodunt. Verum audiant quæſo ! Cl. Canzium diſparis quidem cultus, at inſignis eruditionis Virum ita loquentem (*): *Alii hanc ſcientiam DEI mediam male applicant; alii, ut hoc declinent, male negant prorſus.* Sapienti pauca, et ſatis.

At non ſolum præſcit, et prævidet DEUS univerſa, ſed et providet univerſis. Etenim res omnes ignobiles æque ac nobiles non fatali neceſſitudine quadam, ſed ſuaviter cuncta diſponens ordinatiſſimis mediis ad fines præfixos dirigit. Ideoque bene

XXI. Adverſus Epicureos, et Genethliacos ſtatuitur: univerſum hoc divina gubernari providentia.

XXII. Atque ob hanc rationem *Fortuna*, *Caſus*, et *Fatum* in ſenſu Democriti, Stoicorum, Aſtrologorum, Ethnicorum, Muhamedanorum, Spinozæ, ac Calvini velut fatuum reiiciendum eſt, niſi in ſenſu Chriſtiano per illud intelligatur DEI ſapientiſſime omnia gubernantis invariabilis *Providentia.*

Ex notione tandem *Cauſſæ primæ* rerum omnium infertur DEI omnipotentia, quam Theod. Beza, celebre

(*) Meditat. Philoſ. C. IX. §. 447.

lebre inter Sectarios nomen impio ausu contrectare non exhorruit ; Fataliſtæ autem legibus quibusdam inepte ſubiiciunt. Hæc omnipotentia vel maxime conſpicua eſt in univerſi huius *creatione* (nam *actio creativa* ſoli DEO propria eſt (*):) *conſervatione*, *ſimultaneoque concurſu.* nimirum

XXIII. Res creatæ, ut exſiſtentiam ſuam continuent, non modo indigent directa DEI conſervatione :

XXIV. Sed et in omnibus actionibus immediato ſimul DEI concurſu.

XXV. Exiſtimo autem, hunc concurſum ſimultaneum non eſſe diſtinguendum ab ipſa conſervatione creaturæ in eo ſtatu, quem illa agendo obtinet (**). Ut adeo DEUS cum creaturis concurrat quidem in eadem actione, non vero per eamdem actionem.

Thomiſtæ anteſignanum ſecuti Dominicum Bannez ex familia D. Dominici præter ſimultaneum concurſum prævium inſuper DEI influxum in creaturarum actiones adſtruunt, quem in famoſa *prædeterminatione phyſica*

(*) Iuxta Poſit. XII.

(**) Ita cum Cl. Caſimiro Toloſano ſatis multi Philoſophi ſentiunt.

phyſica conſtituunt. Vix unquam exſtitit inter Scholaſticos acrior controverſia, ac præſens eſt de influxu mox dicto: hodie tamen ſolemnitas huius controverſiæ multum deferbuit; eoquod partes litigantes ad inutiles ſpeculationes prolaberentur, et ob utriusque partis innatam veluti pertinaciam vix amplius reſolvendæ ex integro controverſiæ ſpes affulgeat. Ego interea, ut receptæ in ſcholis aſſuetudini aliquomodo ſaltem morem geram ſincere ſic concludo.

XXVI. Prædeterminatio phyſica (iuxta indolem a Banneſio adornatam) ex parte DEI ad commendandam divini dominii excellentiam videtur ſuperflua: quin et ſanctitati, aliisque DEI perfectionibus noxia;

XXVII. Ex parte creaturæ vero cauſſis liberis inimica, in neceſſariis penitus fruſtranea eſſe.

Interea tamen cuilibet Religioſo Philoſopho bene cavendum eſt, ne in diſcuſſione huius materiæ argumentis theologicis, aut ſubtilitatibus ſcholaſticis involvatur.

§. II.

DE DÆMONOLOGIA

sive

Doctrina de Spiritibus Angelicis.

Principem locum inter ſpiritus creatos Angelici ſpiritus ſibi vendicant. Et licet ipſa vox *Angelus* officii potius nomen ſit, quam naturæ, per eam tamen communiter intelligitur *ſubſtantia ſpiritualis creata, et ſuo modo completa.*

XXVIII. Angelos bonos, et malos exſiſtere, licet ratione naturali demonſtrari non poſſit: contra Saducæos tamen utriusque authoritatis criterio, et communi ſenſu exploratum habemus (*).

Ex allata vero definitione circa Angelorum naturam plus inferri nequit: quam eos eſſe incorporeos, intellectuque, ac voluntate pollere. quidquid vero de illorum vi cognoſcitiva, locomotiva &c. non nulli aſſererere tentant, id omne meris coniecturis inniti, nemini non perſuaſum eſt. ideoque merito in his ulterius diſcutiendis calamus reſtringitur.

Angelos tam probos, quam reprobos in res creatas poteſtatem habere non minus authoritate, quam multiplici experientia docemur; præcipue, cum vix ſine

(*) De communi in hac materia ſenſu videri poteſt *Thomæ Stanleii Hiſtoria Philoſophiæ orientalis* tomo II. operum philoſophicorum Ioannis Clerici adiecta.

temeritate negari queat: exſtitiſſe Energumenos, et Veneficos per *Magiam nigram*, vulgo Schwarzkunſt olim mira et inſolita patraſſe. Ipſa quidem *Magia* ſimpliciter eſt *Scientia naturalis*, *atque ars mira efficiendi medio*, *et fine bono*, adeoque licita: at, ſi ad malos uſus dirigitur, et non niſi ex *pacto implicito*, aut *explicito* cum Angelis reprobis inito exercetur, illicitiſſima audit. quantumcumque vero mirabilia per eam effici valent, attamen

XXIX. Dæmones nunquam verum miraculum patrare ſciunt, (hoc enim eſt opus ſolius DEI) ſed vel activa paſſivis applicant, aut per confictas ſpecies organis ſenſoriis imponunt.

Liberum hic cuilibet relinquo quædam adiicere de *Sagis*, et *Lamiis*, earumque peregrinationibus aëreis, ac conventiculis: nec non de *Lemuribus*, ſpectrisque nocturnis, *Vampiris*, ſeu ſanguiſugis &c. &c. Ego interea mentem meam ex prudenti oeconomia reticeo; tum quia narrationum (quibus ſimilia vel maxime innituntur) rara eſt concordia: tum quia narrantium fides de anticipatis iudiciis interdum non immerito valde ſuſpecta arguitur a plerisque hodierni ævi Criticis, qui conceptas in utramque partem opiniones acerrimis ſalibus licentius perfricare aſſolent (*).

§. III.

(*) Huius rei paradigma nobis offert Anglipolis in famoſo nuper caſu: Von dem Mädgen im rothen Mieder, und mit dem ſchwarzen Vogel.

§. III.

DE PSYCHOLOGIA

sive

Doctrina de Mente Humana.

Experimur in corpore humano non ſolum dari ordinatiſſimam organorum harmoniam ad eliciendos actus vitales; ſed revera inſuper deprehendimus eosdem actus in dicto corpore ab intrinſeco quodam principio prodire. Hoc ipſum vero Principium eſt *Mens humana*, quæ dum corpori humano unitur, dicitur illud *principium activum*, *quo homo fit potens velle, intelligere, aliasque operationes vitales exercere. Exſiſtentia* mentis humanæ, præterea quod ſenſu intimo cuilibet notiſſima ſit; vel propter ſolam dubitationem in dubium vocari nequit.

XXX. Origo illius non ab Angelis (ut Avicenna delirabat) ſed a DEO creatore repetenda eſt: qui eam foetui humano ſufficientibus organis inſtructo infundere cenſetur.

XXXI. Ad fabulas itaque remittatur conficta ab Origene animarum præexſiſtentia; et fato vix meliore digna Ill. Wolfii hypotheſis.

XXXII. Multo minus opinio Cl. Vateri nobis probatur, qui reſuſcitato Tertulliani errore mentem humanam per traducem propagari exiſtimat.

Natura, et eſſentia mentis humanæ, ſeu animæ rationalis ratione quoque naturali vindicanda eſt ab erroribus tum veterum, tum noviorum Philoſophorum, nimirum Pythagoræ, Platonis, Lucretii, Hobbeſii, Cowardi, aliorumque *Pantheiſtarum*, ac *Materialiſtarum*; contra quos vere et catholice ſtatuendum eſt: *Mentem humanam eſſe ſubſtantiam ſpiritualem, intellectivam, humano corpori informando deſtinatam.* adeoque ipſa

XXXIII. Hæc anima eſt purus Spiritus, ſimplex, et indiviſibilis tam in partes eſſentiales phyſicas, quam integrales.

XXXIV. Et non ſolum incorruptibilis, ſed ex natura ſua immortalis.

XXXV. Hæc tamen immortalitas ex fide quidem certa, ex ratione tamen non niſi aliquo modo evidens eſt.

Finis Animæ rationalis in hac providentia eſt corpus humanum informare. Eapropter vera quoque ac phyſica corporis humani forma dicitur, ita quidem, ut

pro

pro corporum quibus infunditur multitudine ſingulariter multiplicabilis, multiplicata, et multiplicanda ſit (*).

XXXVI. Hinc una, eademque anima in pluribus corporibus nec ſimul, nec ſucceſſive adeſſe poteſt. ut adeo celebris animarum migratio, ſeu Μετεμψυχωσις ſanæ rationi adverſetur.

XXXVII. Neque etiam plures animæ in eodem corpore aut ſimul, aut ſucceſſive exſiſtere valent.

Facultates, ſeu potentiæ mentis humanæ duplici ratione attingi poſſunt, quatenus videlicet ea eſt *Spiritus* et quatenus *forma corporis humani* denominatur. ſub primo reſpectu gaudet Mens humana *Intellectu* ſumme activo, ita, ut perceptionum ſuarum non ſit ſubiectum mere paſſivum, ſed principium revera activum (**).

XXXVIII. Licet autem valde probabile ſit, intellectum ex energia ſua ſemper cogitare: actualem tamen cogitationem ad animæ eſſentiam pertinere male infert Carteſius.

Commode hic mentio fieri poteſt de *actuali intellectione*, quæ nil aliud eſt quam ipſius animæ varia modifi-

(*) Ita Concil. Lateran. V. in Bulla *Apoſtolici Regiminis*

(**) Cuinam ſyſtemati de idearum origine ego accedam, facile colligi poteſt ex Logica.

dificatio, non autem quædam entitas Peripatetica (*) de *Memoria*, *Reminiſcentia &c.*

Gaudet inſuper mens humana facultate appetendi bonum, et averſandi malum, ſeu *voluntate*, quæ ſola libertatis capax eſt, cum in ipſius poteſtate ſit *velle*, ac *nolle*. ideo quoque

XXXIX. Mens humana pollet libertate indifferentiæ non minus, ac a coactione (**).

In quantum vero anima rationalis ut forma corporis humani conſideratur, prædita eſt ea potentia *imaginativa*, *ſenſitiva*, ac *potentia motrice* de quibus tamen largior ſermo in *Anthropologia* redibit, ubi pariter grande illud arcanum de mutuo commercio corpus inter, et animam, ac ipſius animæ in corpore ſede fuſius explicabitur.

§. IIII.

DE ZOOLOGIA

ſive

Doctrina de Animabus Brutorum.

Nomine Bruti deſignamus *ſubſtantiam compoſitam ex corpore organis ſenſoriis inſtructo, et principio quodam vivente cognoſcendi, appetendi, ſentiendi, ac movendi facul-*

(*) Nempe cohærenter ad Poſit. XIII.

(**) An vero voluntas ad determinandum individuum ſpeciei æque libera ſit ac ad ipſam ſpeciem? ſubtilitas quædam ſcholaſtica eſt, quæ ſine detrimenti periculo transmitti poteſt.

facultate prædito. Ac proinde a Carteſianis, qui hac in parte Stoicos, et poſtea Gomeſium Pereiram inſecuti ſunt,

XL. Male ſtatuitur: Bruta eſſe machinas hydraulico - pnevmatico - locomotivas, ſive mera Αυτοματα.

Deprehendimus enim in quolibet Bruto non ſolum ordinatiſſima organa; ſed tales inſuper operationes, quæ non niſi a principio vitali, ſeu anima proficiſcuntur.

XLI. Exſtat itaque in ſingulis Brutis Anima; quæ tamen non conſiſtit in Elementorum combinatione, flore ſanguinis, aut entitate pure materiali: Neque eſt ſubſtantia quædam media inter ſpiritum, et materiam.

XLII. Sed eſt ſubſtantia quædam ſpiritualis, ſimplex et indiviſibilis, mentibus tamen humanis natura ſua longe imperfectior.

Anima Brutorum gaudet ſimiliter præter facultatem *ſenſitivam cognoſcitiva* ſimul, *imaginativa*, et *rememorativa*, ita quidem,

XLIII. Ut ob anguſtos intellectus limites imperfecte ſaltem ratiocinari; et

motibus ſpontaneis ſeſe ad agendum determinare poſſe mihi videatur (*).

Quæcunque non nulli hac occaſione de Brutis in ſpecie addere ſolent, ego commodius ad Phyſicam ſpecialem reiicio, cum de corporibus in ſpecie diſſertatio recurret. Hæc autem de Entibus qua mentis præciſione, qua ipſa natura abſtractis a commercio materiæ pro exigentia diſciplinarum Metaphyſicarum ſufficere poſſunt. Ad haſce materias pro dignitate diſcutiendas, præter Authores in parte prima ſyſtematis huius ad finem recenſitos, auxiliares manus præbuerunt, Carteſius, Wolfius, Gottlieb Canzius, Pardies, Buddeus, Baumeiſterus, Euſebius Amort, Veremundus Guſl Benedictinus Prunfeningenſis, Benno Ganſer Benedictinus Oberaltaichenſis, aliique, quorum inſignia opera conſulere, cuilibet pronum erit.

(*) Atque hac ratione ſufficienter ſalvari autumo datam ſuperius definitionem ſpiritus genericam, ſub qua etiam bruta comprehenduntur.

SYSTEMATIS
PROBLEMATICI
PARS TERTIA
COMPLECTENS
UNIVERSAM PHYSICAM.

СИТ

ДИЛЕТУЈУЋИ БИКОТ

СОЛИТЕСЦЕНТЕ

БИКОЛЕПАЛИ

ВИКОПЕЋИЛИСИ

ЗИЛУЋИЛИСКЕ

(*) „Antequam in interiora doctrinæ naturalis viſce-
„ra deſcendamus, cuilibet artium liberalium Profeſ-
„ſori vel maxime opportunum erit, ut reſiduo tem-
„poris ſpatio quod a pertractandis materiis Logicis ac
„Metaphyſicis ſuperat, diſcipulis quædam *Elementa*
„*Matheſeos puræ*, ceu Præcognita ad ſcientias phyſicas
„ſubminiſtret ore, aut calamo. Ad hæc vero Phyſi-
„cæ adminicula referri poſſunt *Principia Arithmeticæ vul-*
„*garis*, et *ſpecioſæ*, nec non *Geometriæ*: quæ ſane in
„compendio attingit Cl. P. Maximus Mangold S. I.
„in *Philoſophia Recentiore publicis prælectionibus accomodata.*
„cuius inſignis viri opera ego quoque pro viribus im-
„becillitatis meæ uſus eram: aliis alios accedere libe-
„rum ſit, dummodo perſpicuitati, et brevitati pro
„diſcipulorum capacitate ſtuduerint.

Nobilis illa, ac periucunda Philoſophiæ pars, quæ in penetrandis naturæ arcanis tota occupatur, *Phyſica*, ſeu *ſcientia rerum naturalium*, *præprimis corporearum* nuncupari amat.

Obiectum illius principale eſt *naturale corpus*, cuius originem, eſſentiam, affectiones, vires, ſtatusque diverſos ſolicite contemplatur. Hoc ipſum vero corpus dum in genere attingit, *Phyſicæ generalis*, ſin in ſpecie conſiderat, *Phyſicæ particularis* denominationem ſortitur. utraque tamen pro ratione modi, quo in obiectum fertur, aut *Hiſtorica* eſt, aut *Ætiologica*; ſi nimirum præter nudam rerum enarrationem, et deſcriptionem,

earum

earum quoque cauſſas recenſet ac diſquirit. Ordine igitur non minus ſcholæ, quam naturæ Phyſica generalis in prima huius ſyſtematis phyſici ſectione pertractanda aſſumitur, altera Phyſicam particularem comprehendet.

SECTIO PRIMA

COMPLECTENS

PHYSICAM GENERALEM.

Generalis hæc de corpore phyſico in genere ſpectato contemplatio maioris claritatis conciliandæ gratia in quinque diſſertationes diſtribuenda eſt: videlicet in *Somatologiam*, *Æſdiſeologiam*, *Dynamicam*, *Phoronomiam*, et *Staticam*, queis Phyſicæ generalis partibus omnis profecto naturalis corporis doctrina, ac doctrinæ œconomia innititur.

§. I.

DE SOMATOLOGIA

ſive

Doctrina de corpore phyſico, eiusque Eſſentia, ac generalibus affectionibus.

XLIV. Corpora phyſica revera exſiſtere, adverſus Idealiſtas, et Moniſtas per omnia veritatis criteria evidens, ac manifeſtum redditur.

Ad evitandas verbales tricas in deſtinanda eſſentia eorumdem, triplicem corporis naturalis conceptum ſtatuere placuit. ut adeo

XLV.

XLV. Eſſentia illius metaphyſice ſpectati in radicali impenetrabilitate: mathematice conſiderati in actuali extenſione trine menſurabili: phyſice autem in ſenſibili eiusdem mutabilitate poſita eſſe videatur.

XLVI. Declamata tamen Carteſii opinio, merum conceptum mathematicum pro eſſentia corporis metaphyſica, vel phyſica obtrudere conantis merito vapulat.

Præter principia corporum extrinſeca dantur inſuper intrinſeca et naturalia, quæ *materiæ primæ* vices obeunt, ex qua omnia corpora proficiſcuntur, et in quam ultimato reſolvi queunt. Huius materiæ naturam, ut magis conſpicuam redderent Philoſophi, diverſa conſinxere ſyſtemata (horum tamen non niſi brevis ac ſuccincta recenſio facienda eſt: quæſtiones autem ſcholaſticæ de eadem materia prima, eiusdem appetitu, forma ſubſtantiali &c., quæ olim inter triviales phyſicos permagni habebantur, ab ovo usque ad malum eliminandæ ſunt) quibus et noſtrum, ceu quoddam medium ſuperaddere licebit, cum

XLVII. Statuimus: Prima corporis phyſici principia metaphyſice ſumta ad mentem Ariſtotelis eſſe in fieri materiam,

riam, formam, et privationem: in facto autem ſolam materiam, et formam.

XLVIII. Hæc Principia, ſi phyſice ſpectantur, conſiſtere pariter arbitramur in ſubſtantiis ſimplicibus, materialibus, inextenſis, et ex vi congenita activis: quarum forma eſſentialis ex earumdem unione ſecundum variam diſpoſitionem, et combinationem dependet.

Inde ulterius facile deducitur: has ſimplices ſubſtantias ab authore naturæ in moleculas combinatas pro principiis corporum mechanicis; et ob maiorem, vel minorem earumdem molecularum concretionem pro ſenſibilibus quoque principiis conſtitui poſſe. quod ſecundaria vero corporum principia attinet, parum refert, ſive ea ex Elementis vulgaribus, ſive chemicis deriventur.

Affectiones generales corporum phyſicorum præcipuæ ſunt inprimis *Extenſio*, ex cuius diverſa modificatione iisdem certus *magnitudinis terminus*, ſeu *Figura*, *raritas*, aut *denſitas* indicitur. quidquid hac occaſione Philoſophi de *rarefactione*, et *condenſatione* differere ſolent, id breviter iterum recenſendum eſt. Extenſioni ſororio vinculo adhæret *impenetrabilitas actualis*.

XLIX. Hæc tamen ſupernaturaliter tolli poteſt, ita, ut duo corpora in eo-

dem

dem loco, et tempore ſimul compenetrata exſiſtere poſſint.

Cum vero extenſum ſine partibus concipi nequeat, congrue extenſioni corporis ſubiungitur illius *Diviſibilitas*, ſed ita, ut in ipſa corporis diviſione tandem deveniri oporteat ad minimas materiæ partes non iam amplius diviſibiles. Quæcunque vero in Scholis occaſione diviſibilitatis *de Compoſitione continui* controvertuntur adeo recondita ſunt, ut non niſi iis ampliori diſcuſſioni incumbere liceat, quibus plus eſt otii literarii.

Cum autem moleculæ primigeniæ, ex quibus corpora coaleſcunt diverſa, pollent figura, nunquam ita inter ſe implicantur, quin aliqua hinc inde remaneant diſperſa ſpatiola, ſeu *Pori*; merito quoque *Poroſitas* affectionibus corporum adnumeratur: utpote cuius beneficio *tranſpiratio* corporum ut plurimum adiuvatur.

L. In his quidem poris quorumvis corporum ſaltem ſenſibilium hoſpitatur materia quædam fluida, et ſubtilis: omne tamen vacuum, etiam diſſeminatum ibidem evitari vix poteſt.

Ad explicandam partium corporis *cohæſionem* ſufficit pariter arctior illarum incuneatio, compactio, mutuusque nexus. limitibus tamen hanc partium cohæſionem circumſcriptam eſſe apparet; cum quævis corpora violente tenſa, aut compreſſa ad priſtinum ſtatum ſeſe componere laborant. Conatus iſte *Elaſticitas* nuncupari aſſolet, quæ vel *paſſiva*, vel *activa* eſt. atque hinc

LI. Videtur Elaſticitas paſſiva ab ædificio corporum mechanico repetenda eſſe: activa vero cum ab ipſa corporum materia vi inertiæ prædita; tum a fluido æthereo interlabente, quod ſublato partium æquilibrio vim pariter activam exerit.

Notiſſima tandem Corporis phyſici affectio eſt *Gravitas*, cuius phænomena quidem quotidiana ſunt: at cauſa, et origo ipſius gravitatis in remotiſſimis adhuc naturæ penetralibus deliteſcens omnes pene inveſtigantis intellectus humani conatus irritos reddidit. variorum quidem Philoſophorum ingenioſas prorſus hac de re hypotheſes manu terimus: verum næ magnus Apollo erit, qui vaticinatus fuerit, cui denique credendum ſit. Interea liberum cuivis relinquo has hypotheſes in examen vocare: in hac autem rerum incertitudine utor et ego digna Philoſopho Eclectico libertate, et conſonam datis principiis, corporibusque præciſe ſublunaribus accomodam hypotheſin exſtruo, et dico:

LII. Gravitatem paſſivam conſtare ex ipſa cuiusque corporis maſſa tam conſtanti, quam variabili. Activam vero, ſeu cauſſam gravitantem dico partim corporibus intrinſecam, ob congenitam nimirum vim activam, quæ tamen in actu primo indifferens eſſe concipi-

cipitur ad motum ſurſum, vel deorſum, &c. partim extrinſecam, quatenus vis activa in actu ſecundo ſpectata ob accedentem determinationem ab authore naturæ, præciſe deorſum verſus ſtabile quoddam centrum tendit (*).

§. II.

DE ÆSDISEOLOGIA

ſive

Doctrina de qualitatibus ſenſibilibus corporis phyſici.

Ut corpus phyſicum ſenſibile denominetur, potens ſit, oportet, ita immutare ſenſuum animalium organa, ut inde illa ſuboriatur paſſio, quam rei ſenſibilis perceptio conſequitur. Præſtat hoc quodlibet corpus per *qualitates accidentarias*: quarum aliæ *actuoſæ*, aliæ *paſſivæ*, et *inertes* appellitantur. Illarum origo non unice ex intima rei eſſentia, aut ex Elementis haurienda eſt; quam plurimæ enim rerum inertium qualitates ex mechanicis affectionibus haud inconcinne derivantur.

Percelebris in hoc negotio controverſia agitari, et Peripateticos inter ac Atomiſtas ad ravim usque declamari aſſolet: an dictæ qualitates ſenſibiles abſolutæ dici queant? ſive, (ut dialecto ſcholaſtica utar) *An dentur*

(*) Anſam condendæ huius hypotheſis ad manus dederat Cl. Bezel in *Philoſophia ad guſtum moderni ſeculi elaborata.*

Accidentia abſoluta? Nemo ſane ignorat, anſam litigii huius ab Auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento pendere, ut adeo integra quæſtio theologica potius diſcuſſione digna perperam ad forum philoſophicum deducta ſit, cum in eiusmodi myſteriis rationem humanam in obſequium fidei captivari oportet. Hinc candide aſſero:

LIII. Sententiam Atomiſtarum principiis phyſicis longe conformiorem eſſe, et nulla ratione S. Fidei oppoſitam.

LIV. Licet ſententia Peripateticorum ex Authoritate PPum, et Conciliorum probabilitatem ſuam iactet.

Qualitatum varietas deſumitur ex diverſitate ſenſuum externorum, in quos agere ſolent. Hinc aliæ dicuntur *tactiles* ut *ſoliditas*, *fluiditas*, *ſiccitas*, *mollities*, *calor*, *frigus &c.*

LV. Caloris natura in motu vehementi, perturbato, et expanſivo partium inſenſibilium, præprimis ignearum corporis calidi conſiſtit.

LVI. Frigoris e diverſo natura, et activitas non in mera privatione caloris, atque partium quiete: ſed inſuper in appulſu quorumdam halituum nitroſorum,

ſorum, et ſalinorum, qui corporum poros facile penetrant, iisdemque ſe cuneorum inſtar infigunt, poſita eſſe videtur.

Aliæ ſunt *audibiles*, ad quas primario refertur *ſonus*, qui modo *primitivus*, modo *derivativus* dicitur.

LVII. Prior habetur ex motu tremulo partium minimarum corporis ſonori, orto ex eiusdem corporis percuſſione, colliſione, aut ſubita, et vehementi vibratione. Poſterior autem ex motu aëris iterum tremulo, a partium corporis percuſſi tremore aëri communicato. qui dum ad aures defertur, organum acuſticum varie afficit.

His ſubjungi poſſunt, quæ notatu digna ſunt de ſoni *propagatione*, et *reflexione*, ac *harmonia* &c.

Aliæ qualitates dicuntur *viſuales*, ubi præcipue de *lumine* et *coloribus* ſermo recurrit. circa naturam luminis explicandam varias iterum offendimus hypotheſes, præprimis Carteſii, Gaſſendi, et Newtoni. Mihi tamen

LVIII. Præplacet illorum opinio, qui lucem primitivam in concitato, et celer-

celerrimo motu vibratorio minimarum partium corporis lucidi: derivativam vero in eodem motu, et preſſione rectilinea fluidi ætherei a motu corporis lucidi profecta, repoſitam eſſe volunt.

Ad illuſtrandam hanc de lumine pertractationem pertinet quoque diſcuſſio de luminis *propagatione*, varia *reflexione*, et *refractione*, corporumque *diaphaneitate*. Leges autem, quæ ad Opticam, Catoptricam, et Dioptricam pertinent, melius in Phyſica particulari referuntur, cum de viſu, et viſione mentio fiet.

Corpus autem nullum oculis revera conſpicuum eſſe poteſt, niſi in illo eiusmodi detur affectio, per quam organum viſus ad percipiendum determinatur. Hæc vero affectio *color* dicitur, qui ipſum corpus *coloratum* denominat. Color alius eſt *fundamentalis*, alius *formalis*, *permanens*, *tranſiens*, *extremus*, *medius* &c. circa eorum tamen naturam exponendam multum laborarunt Viri eruditiſſimi varias condendo hypotheſes: mihi interea placuit ſtatuere,

LIX. Colorem fundamentalem obiecti permanenter, aut tranſeunter colorati conſiſtere in certa corporis textum: formalem vero haberi per lumen modificatum.

LX. Idem quoque ſentio de coloribus extremis.

LXI. Pro determinandis autem coloribus intermediis vix sufficere arbitror hypotheses Hon. Fabri, Cartesii, et Newtoni (*).

LXII. Simplicior tamen, facilior-que apparet ratio explicandi colores intermedios per varimodam radiorum luminis vibrationem: quamvis decerni vix possit, qualis esse debeat in singulis coloribus vibrationis modus.

Qualitates *odoribiles* illas vocamus, quæ corpus odorum efficiunt, quod dein olfactus organo adhibitum in illo odoris sensationem elicit. *Odorem* vero non nisi per effluvia particularum corporis odori diffundi, experientia docemur. sunt tamen istæ particulæ potissimum salino-sulphureæ, quæ dein aëris alluvio a corporibus odoriferis abreptæ organum odoratus impellunt.

Qualitates tandem *gustuosæ* illæ censentur, quæ corpus sapidum efficiunt, quod postea linguæ impositum, ac salivæ beneficio dissolutum sensationem *saporis* in organo gustus excitat. Hinc tamen sapor habetur per particulas præcipue salinas diversa magnitudine, figura, multitudine, et motu præditas.

(*) Cuivis interea liberum permittitur tantorum Philosophorum hypotheses ad crisin vocare. Præsentem vero de coloribus materiam prorsus absorbentem esse nemo facile diffitebitur: adeoque suo quilibet consulat genio, et ingenio.

Huc referri quoque meretur disquisitio de illis qualitatibus, quas antiquiores *occultas* nuncupavere: ut erant *virtus magnetica*, et *electrica* (*), *affectus sympathetici*, et *antipathetici*, *vires venenorum*, *alexipharmacorum*, *medicamentorum* &c. at nihil profecto obesse censeo, quo minus dictæ qualitates a diversa iterum corporis dispositione, motu, profluvio substantiali &c. repeti possint. Non nulli quoque occultis qualitatibus associant percelebrem hac ætate Newtoni *vim attrahentem*, et *repellentem*, licet eam prodigiosus hic Philosophus solum inter naturæ phænomena referat. quo tamen iure id faciant? aliorum esto iudicium: mihi sufficiat, altefati Viri summam in rebus physicis, ac præcipue mathematicis perspicaciam tacita admiratione devenerari posse.

§. III.

DE DYNAMICA

sive

Doctrina de viribus Corporis physici.

Corpus physicum ex moleculis minimorum physicorum activorum aggregatum esse in Somatologia dictum est (**). Non abs re igitur aliqua saltem eidem activitas attribuenda est; quæ tamen in motu constituitur, aut nisu ad motum. Porro hæc activitas a vi quadam motrice corporum descendit, quæ singulis rebus materialibus cum simplicibus, tum compositis in ipsa rerum genesi ab authore naturæ indita esse concipitur. Vestigia tantæ virtutis deprehendimus non solum in iugi *motu intestino* corporum transpirantium, fermentantium, putrescen-

(*) De his in sequenti sectione sermo redibit.
(**) Posit. XLVIII.

trefcentium &c. ſed inſuper in ipſo eorum *motu locali*: dum corpora ſemel ad motum determinata non minus de loco in locum peregrinantur, ſed et in obvia quæque agunt, ac ad ſimilem motum determinant. Hæc tamen ad motum determinatio ſeu

LXIII. Motus inchoatus dependet a ſubſtantia ſpirituali immediate, et non nunquam ab æthereo fluido vi motrice imbuto.

Hæc vis, ſi actu diverſas mutationes cauſſat, *motrix*, ſi vero mutationibus reſiſtit, *vis inertiæ* nuncupatur; atque ob diverſum exercitium virium ſuarum modo *viva*, modo *mortua*, *centripeta*, *centrifuga* &c. audit. Nequit inſuper ex aliis corporum affectionibus derivari: adeoque

LXIV. Vis inertiæ eſt poſitiva, et diſtincta corporum proprietas, in qua potius reliquæ eorum proprietates fundantur.

Princeps illius munus eſt, ut corpus in obtento ſtatu ſeu motus, ſeu quietis conſervare nitatur. Experimur etenim corpus quodpiam in quiete poſitum reſiſtere motioni extrinſecus advenienti; et ſi aliquando motum ſuſceperit, non tantum in obvia agere obſtacula, ſed et celeriori motioni reluctari. Congrue igitur non in impetu accidentali Peripateticorum, non in äeris recurſu, neque in paſſiva corporis indifferentia, ſed

LXV. Omnis motus continuati cauſſa in laudata vi inertiæ collocanda eſt.

§. IIII.

DE PHORONOMIA

sive

De motu locali corporis physici.

Per motum localem intelligitur *continua, et successiva loci mutatio:* dum nimirum mobile corpus (cuius *mobilitas* in finitudine vis inertiæ ponitur constituta) ex uno loco in alium transit: ut adeo etiam supernaturaliter impossibile videatur, idem corpus eodem tempore in duplici simul loco exsistere.

LXVI. Implicat igitur corporum replicatio.

Ad hanc mutationem subeundam prævie in quolibet corpore requiritur determinatio quædam, seu impulsus, ac *impetus* a potentia motrice procedens; cuius tamen natura hodiedum ignoratur. Iuxta hanc determinationem corpus tamdiu perseverat in motu æquabili, donec per medium aliquod resistens (dantur autem varia motus impedimenta) statum suum immutare cogatur. hinc etiam

LXVII. Omnia gravia medio non obstante æquabiliter deorsum moventur.

In omni motu locali præprimis attendendum est ad corporis *massam*, *momentum motus*, eiusdemque *celeritatem* relate *ad tempus*, et *spatia percursa*. qua de re leges variæ sunt recensendæ pro determinanda corporis moti celeritate, ac motus quantitate. Motus tamen omnis aut æquabilis est, aut acceleratus, vel retardatus; ubi

præ-

præcipue' notanda venit proportio accelerationis, aut retardationis. nam

LXVIII. Gravia libere descendentia motum suum accelerant uniformiter in proportione arithmetica secundum numeros impares 1. 3. 5. 7. &c.

Diversæ motuum species ex numero, et varietate directionum, aut determinationum suboriuntur. hinc alius motus est *simplex*, alius *compositus*, *refractus*, aut *reflexus*. Posterior hic, nempe

LXIX. Motus reflexus non a sola determinationis mutatione: sed vel maxime ab elatere corporis aut reflexi, aut reflectentis, aut ab utroque simul repetendus est.

Omnes tamen hæ motuum species, sive dein ex collisione corporum elasticorum, seu minus elasticorum oriantur, certis alligatæ sunt legibus, quas non modo physicorum sagacitas, sed et palpabilis experientia civitate donavit.

Hunc motum localem corporum *Mechanica* per diversas machinas artificiose non minus, quam mirifice promovet. eiusmodi machinæ sunt varii generis *vectes*, *axis in Peritrochio*, *glossocomum*, *trochlea*, *planum inclinatum*, *cuneus*, et *cochlea*. quis usus, quæve vires ad huiusmodi instrumenta requirantur non nisi succincte expendendum est.

§. V.

DE STATICA

sive

Doctrina de quiete, et æquilibrio corporum.

Statica corporum æquilibrium pertractat, per quod corpora ob æqualem niſum, et reniſum quaſi quieſcere advertimus. Bifariam dividi ſolet hæc ſcientia: nimirum in *Geoſtaticam*, et *Hydroſtaticam*. hæc fluidorum, illa ſolidorum æquilibrium diſcutit. obſervando ſolidorum æquilibrio commode inſervit *Bilanx*, et *Statera:* in utraque tamen machina ſedulo comparanda eſt ponderum æqualitas, aut inæqualitas, et diſtantia eorumdem ab hypomochlio, ſeu communi ſuſtentationis puncto, prout nempe *ſtaticæ leges* exigunt.

LXX. Solida autem tunc in æquilibrio conſiſtere dicuntur: quando eorum maſſæ, et celeritates reciprocant, cum hac ratione vires reſpectivæ æquales evadunt (*).

Fluida quoque omnia ſibi relicta ſua ſponte *ad libellam* ſe componunt. Ut autem eorum quies exacte deprehendatur, conſideranda venit eorum homogeneitas, et heterogeneitas, vaſorumque, quibus continentur amplitudo, ac diverſitas. Aptiſſima tamen pro librandis fluidis

(*) Supereſſent equidem multæ adhuc ſubtilitates, quæ tamen magis Matheſin ſapiunt, adeoque ſecure abeſſe poſſunt a Philoſopho Religioſo.

fluidis vasa esse censentur *Tubi communicantes* cuiuscumque Perimetri, aut figuræ.

LXXI. In his fluida homogenea ad libellam consistunt, si eadem est utrinque altitudo perpendicularis. Heterogena vero, quando reciprocam altitudinis, et gravitatis specificæ rationem advertimus.

LXXII. Caussa decretoria æquilibrii huius videtur esse æqualitas virium recte in se agentium dependens a liquorum gravitate, et altitudine.

Huc referri insuper possunt phænomena ascensus, et descensus liquidorum in *tubis capillaribus*, et quædam *Hydraulicæ principia*, quibus liquidorum motus per *lumina* examinatur: quem in finem varii canones motuum pro luminum, vasorumque diversitate in iis statui possunt.

LXXIII. Solida quoque fluidis immersa cum iisdem libellam servant.

Contingit tamen in eiusmodi statu quietis, ut solidum fluido immissum eousque mergatur; donec fluidi volumen sit solido in ratione ponderis æquale. Et, ut solidum immissum tantam sui ponderis partem quoad sensum amittat, quanti ponderis est fluidi volumen exclusum. Utroque hoc principio innumera propemodum phænomena explicantur, quæ in concursu Geo- et Hydrostaticæ explorata habentur.

SECTIO

SECTIO SECUNDA

COMPLECTENS

PHYSICAM PARTICULAREM.

Præcipuum Phyſicæ particularis munus eſt corpora phyſica in ſpecie conſiderare, quæcunque in hoc univerſo exſtant. qualia ſunt inprimis mundus ipſe, dein corpora quævis cœleſtia, elementaria, et terreſtria; inter quæ præcipue numerantur corpora humana, belluina, et plantæ. iuxta hanc igitur corporum ſeriem, ordo quoque Phyſicæ particularis inſtituendus eſt.

§. I.

DE COSMOLOGIA

ſive

Doctrina de Corpore mundano.

Mundum ſi metaphyſice ſpectamus, dicitur ille *compages apte conciliata, concinnoque ordine digeſta rerum omnium, quæ ſub cælo, et terra continentur.* Partes illius ſunt materiales et immateriales, fluidæ, ac ſolidæ, lucidæ, et opacæ. In deſtinanda eiusdem eſſentia turpiter hallucinati ſunt Platonici, Pythagorici, et cum Bened. Spinoza Pantheiſtæ omnes. melius itaque

LXXIV. Mundus dicitur ens compoſitum, cuius eſſentia ſita eſt in modo, quo ipſius partes, res nimirum ſimultaneæ, et ſucceſſivæ inter ſe ſociantur.

LXXV. Est ex nihilo productus, ideoque nulla ratione æternus: sed cum, et in tempore cepit exsistere.

LXXVI. Datur tamen in hac providentia non nisi unicus, qui licet perfectissimus non sit, materialiter tamen, formaliterque perfectus est. Plures vero mundos non nisi sub certa restrictione possibiles esse arbitror.

Minime hic a re alienum erit, si quædam animadversiones adiicerentur *de origine*, *ætate* et *interitu mundi* velut breve quoddam eruditionis adminiculum.

Mundum si physice contemplamur, per eum intelligimus compagem cœli, terræ, aquæ, ac omnium corporum in iis exsistentium coordinationem. Huius vero mundi ut ordinem, dispositionemque in explicandis eiusdem phænomenis perspectam habeamus, ad generalia quædam Systemata confugiendum est: inter quæ notiora censentur systema *Ptolemaicum*, *Tychonicum*, et *Copernicanum*.

LXXVII. Ptolemaicum mundi systema nulla ratione sustineri potest.

LXXVIII. Tychonicum autem, licet impeditum, et naturæ simplicitati minus conforme videatur, conciliari adhuc

adhuc poteſt cum Phyſicæ legibus, et Aſtronomiæ phænomenis.

LXXIX. Copernicanum tandem ſimplicitati naturæ legibusque Aſtronomiæ, ac Phyſicæ conforme eſſe videtur.

LXXX. Ideoque reliquis etiam ut Theſis tamdiu præferendum eſt, usque clare oſtenſum fuerit S. Scripturam aperte refragari, et e diametro oppoſitam eſſe (*).

Ad aliquam ſaltem mundi ideam configurandam utuntur Coſmographi triplici præcipue machina, *Sphæra* nimi-

(*) Dixi quidem, ut theſin eſſe ſyſtema hoc aſſumendum; nempe quatenus cum phænomenis phyſicis, et aſtronomicis conciliari valet: hæc vero theſis minime gentium dogmatica eſt, ita ut certitudine fidei conſtet; quod nec ipſe Nicol. Copernicus intendit. neque etiam ipſa S. ſcriptura in ratione obſervationum naturalium eidem oppoſita eſſe cenſenda eſt, cum integra hæc ſententia dogma nullum reſpiciat; niſi crinibus tortis ad tale torqueatur, ut perbene advertit Cl. P. Udalricus Weis in ſæpe laudato opere de emendatione humani intellectus. mirari itaque ſatis nequeo, literatiſſimos etiam Viros quosdam ea Religione duci, ut Copernicanum ſyſtema non niſi ut hypotheſin defendere auſint, cum tamen nec minima pars Religionis chriſtianæ ſit: terram aut moveri, aut immobilem conſiſtere. alias enim integram quæſtionem altioris fori eſſe continuo iudicarem, ut adeo intellectus humanus in obſequium fidei captivandus foret. Ita quidem ego cenſeo, ſed ſalva Fidei authoritate aliorumque Eruditorum opinione meliori.

nimirum *armillari*, *terreſtri*, et *cœleſti*: quarum prior globum cœleſtem unacum terraqua ſimul repræſentat: reliquæ autem globum quemlibet in ſpecie. Ex machinis hiſce, factisque extrema ſolicitudine obſervationibus inferri facile poteſt.

LXXXI. Mundum totum phyſice conſideratum, ipſamque terraquam non quidem mathematice, ſed phyſice, ſeu ad ſenſum rotundam eſſe.

Plurimum ſane utilitatis affertur tyronibus, ſi in præſenti negotio quædam *Principia Geographica* inſinuentur, quæ nimirum ad uſum Sphæræ Geographicæ deſervire poſſint. cum eiusmodi inſtructio iucunda non minus, quam perutilis eſt. interea cum terraquæ configurationem ad ſenſum rotundam eſſe conſtat, ſane

LXXXII. Antiquiores absque ſufficienti ratione negarunt dari Antipodas.

§. II.

DE URANOLOGIA
ſive
Doctrina de corporibus cœleſtibus.

Spatium illud, in quo corpora cœleſtia hoſpitantur *cœlum* dicitur, illudque vel *Empyreum* eſt (de quo tamen Philoſophis ſermo nullus) aliud *ſydereum*, in quo ſtellæ fixæ, et Planetæ morantur.

LXXXIII. Cœlum tamen Planetarum non minus, ac fixarum ſolidum non eſt, ſed cumprimis fluidum.

Inter ipſa corpora cœleſtia primo occurrunt *ſtellæ fixæ* quarum numerus et magnitudo, ob diverſitatem, aut defectum *Parallaxeos* varia quoque eſt. Præter ſtellas fixas deprehenderunt inſuper Aſtrologi alias *temporarias*, inter quas reputant *Cometas*.

LXXXIV. Falluntur igitur, qui Cometas ex vaporibus terreis in ſublime elatis, et accenſis, vel etiam ex effluviis corporum cœleſtium, aut plurium ſtellularum unione componi arbitrantur.

LXXXV. Cometæ igitur ſunt corpora cœleſtia in Coſmogonia ſimul cum reliquis aſtris condita, certa conſtantique periodo peculiares orbitas deſcribentia.

In cœlo Planetario illuſtriſſimum ſydus eſt *Sol.* ſed neque hoc a maculis immune eſſe deprehendit Scheinerus, Galilæus.

LXXXVI. Hæ tamen maculæ neque ſunt ſtellularum congeries, nec corpora ſolida ſubſtantiæ ſolari innatantia: ſed pro-

probabilius ſunt vapores, et fuligines ex æſtuario oceani ſolaris erumpentes, et nubium inſtar condenſatæ.

Solem ſequuntur reliqui Planetæ: *Luna*, *Venus*, *Mars*, *Mercurius*, *Iupiter*, et *Saturnus*, qui ſunt corpora ſphærica lumine plerumque e ſole mutuato ſplendentia. de ſtellis iſtis notari meretur earum curſus ſeu periodicus, ſeu annuus &c. luminisque defectus, quem *Eclipſin* vocamus.

LXXXVII. Dari in Planetis incolas absque ſufficienti quidem ratione non negatur: illorum tamen poſſibilitas ratione ſufficienti non caret.

LXXXVIII. Omnia vero aſtra non quidem ab Intelligentiis moventur: illorum tamen vis motrix bene repetitur a viribus centralibus.

LXXXIX. Aſtra quoque in corpora ſublunaria non niſi actione luminis, aut caloris influere poſſe contra Aſtrologos iudiciarios plus quam certum eſt.

§. III.

DE STOECHIOLOGIA

sive

Doctrina de corporibus Elementaribus.

Stoechiologia quadrifariam diſpeſcitur, in *Pyrologiam* nimirum, ſeu ſermonem de igne, *aërologiam*, de aëre, *Hydrologiam* de aqua, et *Geologiam* de terra. cuilibet diſſertationi commode inſeri poteſt *appendix meteorologica*, quæ meteora ſeu *hypoſtatica*, ſeu *emphatica* cuilibet Elemento convenientia ſuggerat.

Ignis igitur eſt ſubſtantia ætherea, quæ modo illuminat, modo calefacit, ſi nimirum requiſitis motibus agitata fuerit: modo etiam, ſi particulis oleoſis coniuncta fuerit, *flammam* efficit. ignis alius eſt *uſualis*, alius *electricus*, cuius effectus præcipui ſunt *attractio*, *repulſio*, *phoſphoreſcentia*, et *ſuccuſſio*. Horum effectuum cauſſa adeo intricata eſt, ut vix certo determinari queat. liceat tamen mihi illis aſſentiri, qui aſſerunt:

XC. Virtutem electricam oriri a ſubtiliſſimis, elaſticisque corporis electrici moleculis, quæ affrictu provocatæ ipſius atmoſphæram commovent, rarefaciunt, inque aërem obnitentem, aut atmoſphæram vicinorum corporum incurrentes vel repercutiuntur, vel ipſa ſub-

ſubeunt, aliasque homogeneas ibidem particulas pari motu exagitant (*).

Meteoris igneis accenſetur *Fulgur*, *Tonitru*, *Fulmen*, quod tamen non eſt lapis, ut vulgus exiſtimat, ſed exhalatio nitro-ſulphurea, ac bituminoſa interdum circa telluris ſuperficiem, plerumque vero in nubibus mutua colliſione accenſa. Huc pertinent quoque *ſtellæ præcipites*, *volantes*, *transcurrentes*, *trabs*, *columna*, *pyramis*, *draco*, *clypeus*, *capra ſaltans*, *ignes* terra, marique *ambulantes*, *aurora*, *lux crepera*, *lumen zodiacale*, et *aurora borealis*: de qua tamen liberum cuilibet erit ſentire, quæcunque in tanta materiæ ſubtilitate, et ſententiarum diverſitate ſibi magis placere deprehenderit.

Aër eſt corpus fluidum, ſubtile admodum, grave, poroſum, et conſtanter elaſticum, et licet corpuſculis heterogeneis undequaque refertus ſit, ſimplex tamen eſt elementum. tota aëris tellurem ambientis undique maſſa unacum particulis heterogeneis, quæ per ſurſum evectos *vapores*, et *exhalationes* aëri permiſcentur, *terreſtris atmoſphæra* dicitur: cuius tamen altitudinem certo determinare nequeunt Phyſici. aërem ſi artificialiter conſideramus, plurimæ oculis noſtris occurrunt machinæ, in quibus is ipſe gravitate ſua, et elaſticitate mirificos prorſus effectus cauſſat. Hinc

XCI. Phænomena Tubi Torricelliani, ſeu Barometri, Antliæ Pnevmaticæ,

(*) Si machinam electricam tyrones ad manus habent, ſingula quoque, notatuque digniora experimenta petentibus oſtendant, et cuiusvis effectus rationem clare proponant. ego ſaltem hac methodo uſus fui.

Aſpirantis, et Syringis, dæmunculorum Carthefianorum, Siphonum &c. per aëris gravis ac elaſtici preſſionem explicari poſſunt (*).

XCII. Non tamen diffractio lacrymarum Batavicarum, aut phialarum Bononienſium.

Inter meteora aëris hypoſtatica numeratur *ventus*, qui tamen ob qualitates ſuas, temporum viciſſitudines, regionumque, ex quibus proruit, genium varia nomina ſortitur, diverſosque cauſſat effectus.

XCIII. Origo ventorum habetur ex iis cauſſis, quæ motum, aut fluxum aëris efficere, atque æquilibrium atmoſphæræ turbare valent.

Inter meteora aëris emphatica *Halo* circa lunam et ſolem, *Parhelion*, ſeu mentita ſolis imago. *Paraſelene*. namque

Interdum in tenebris duplicatam eſt cernere Lunam.

Virgæ, *Vorago*, ſeu *Chaſma*. ac tandem *Iris* recenſebo.

Aqua eſt corpus fluidum, pellucidum, odoris, ſaporis, et coloris expers. præcipue in ſeptem diſtribuitur claſſes; nimirum in *marinam*, *fluvialem*, *fontanam*, *putealem*, *pluvialem*, *paludoſam*, et *mineralem*, quæ interdum virtute medica aut petrefactoria prædita eſt.

Præ-

(*) Experimenta pariter Antliæ pnevmaticæ, a celeberrimo D. Brandtner Mechanico Auguſtano adornatæ in Muſæo noſtro indies ſpectanda ſunt.

Præter maris amaritiem et ſalſedinem ſingulari attentione dignus eſt eiusdem variis motus, ac præprimis *æſtus*, ſeu intumeſcentia et detumeſcentia eiusdem. In aſſignandis huius æſtus cauſſis irrito ferme conatu hucusque laboratum eſt. Neque antiquis phænomenon hocignotum fuiſſe teſtatur ipſe Lucanus, cum cecinit (*):

- - - - - an ſydere mota ſecundo
Thetyos unda vagæ lunaribus æſtuet horis,
Flammiger an Titan ut alentes hauriat undas,
erigat oceanum, fluctusque ad ſydera tollat?
quærite, quos agitat mundi labor.

In tanta rerum incertitudine denuo placuit mihi ad ſingulare quoddam ſyſtema convolare, quod tamen placitis Cl. Kircheri, et P. Kehl attemperavi. Dico enim:

XCIV. *Æſtus* maris eſt diverſorum marium per varios canales, et meatus inter ſe communicantium ingurgitatio, et regurgitatio: ita, ut dum hi canales aquas ingurgitant, dabitur refluxus, et ſi regurgitant dabitur affluxus.

XCV. Cauſſa tamen continuæ in - et regurgitationis cum regularis, tum irregularis videtur probabilius eſſe materia gravifica oceani aquis incumbens, ac pro varia actione lunæ interpoſitæ, vel ventorum periodicorum ſeu conſtantium,

(*) l. 1. Pharſal.

tium, ſeu inconſtantium diverſimode premens, et ad iugem motum in- et regurgitationis determinans.

XCVI. Fontium tamen, ac fluviorum origo haberi poteſt partim a mari, ut plurimum vero ex pluviis, nivibusque ſolutis.

Meteoris aqueis accenſentur *nubes*, et *nebulæ*, *pluviæ*, interdum prorſus mirabiles, *nix*, *grando*, *ros*, *manna*, *aura ſerotina*, et *pruina*.

Terra eſt corpus foſſile, ſimplex, durum, friabile, in igne fixum, nec fluens, nec in aqua diſſolvi potens. partes illius gaudent diverſa figura, colore, et qualitate, pro varietate nimirum particularum invicem permixtarum. Inter has partes magis ſunt conſpicuæ *Montes*, diverſæ altitudinis, et affectionis.

XCVII. Montium origo ab ipſa globi terraquei geneſi repetenda eſt: licet poſt cataclyſmum non nulli montes recenter emerſerint.

Ad exteriorem quoque terræ faciem pertinent *lapides*, ſicut variæ figuræ, et coloris, ita diverſæ hinc inde virtutis, prout manifeſto experimento in *Magnete* diſcimus, cuius *directio*, *attractio*, et virtutis attractivæ ac directivæ communicatio vix non captum humanum excedere videtur.

XCVIII. Ad iſta Magnetis phænomena explicanda hypotheſis illa, *quæ*

ad

ad effluvia magnetica recurrit, ſufficere deprehenditur.

Interiorem terræ faciem exornant *ſucci minerales* varii generis et virtutis, et *metalla* mira prorſus geneſi in terræ viſceribus efformata. Talia vero dividuntur in perfecta, et imperfecta, cuncta tamen ſplendore, et gravitate exſuperat *Aurum*. Confectio pretioſi huius metalli extra terræ viſcera, res eſt impoſturis obvia, et referta,

XCIX. Ipſa tamen Chryſopoeia ſine ſufficienti ratione velut impoſſibilis reiicitur.

Phænomen illud triſte, quod præſenti ſeculo adeo frequens fuit, et *motum terræ* nuncupare ſolemus, triplici modo contingit: nimirum *pulſu, tremore*, et *inclinatione*. Cauſſa pariter eiusdem triplex eſſe adſtruitur: aër videlicet, aqua,

C. Præcipua tamen ſunt ignes ſubterranei, facta nimirum ſubitanea materiæ ſulphureæ, bituminoſæ, ac nitroſæ inflammatione.

§. IV.

DE ANTHROPOLOGIA.

ſive

Doctrina de Corpore Humano.

Humanum Corpus eſt mirabilis illa membrorum compages, quam ſummus rerum omnium artifex DEUS animæ immortali ſociam addidit, ut eius adminiculo

niculo actiones ad æternæ beatitatis negotium pertinentes elicere valeat. Hoc ipſum corpus in tres regiones diſpeſcitur: *caput* videlicet, *truncum*, et *artus*. Partes corporis in his regionibus diſpoſitæ ſunt vel *ſolidæ*, (quas *Oſteologia*, et *Nevrologia* enumerat) vel *fluidæ* dicuntur, quales ſunt *ſanguis*, et *fluor nervoſus*. utriusque augmentum deducitur ex *chyloſi*, et *hæmatoſi*. Etſi vero ipſe ſanguis non vivat,

CI. Perpetua tamen circulatione per totum corpus diffunditur.

Organa, quæ in corpore humano offendimus, aut ſenſationi internæ, aut externæ famulantur. ſic organum *tactus* externum ſunt nerveæ, et pyramidales papillulæ ex cute erumpentes, et verſus cuticulam aſſurgentes. organum *guſtus* ſunt papillulæ conicæ ex lingua aſſurgentes. organum *olfactus* eſt membrana narium exiliſſimis papillulis inſtructa. organum *auditus* conſtituit tenuis membrana *cochleæ* ſubtenſa. *viſus* tandem organum eſt oculus, et quidem cum Scheinero dicimus:

CII. Viſionem fieri in retina oculi.

Periucundæ huic disquiſitioni utiliter adiunguntur *leges* viſionis directæ, reflexæ, et refractæ, ſeu *opticæ*, *catoptricæ*, et *dioptricæ*.

Per ſenſus internos intelligitur potentia ſenſitiva in partibus internis reſidens, potensque elicere cognitiones materiales dependenter ab organis internis. ſenſus internus triplex plerumque aſſignatur: nimirum *communis*, *phantaſia*, et *memoria*. his ego quoque adnumero *vim motricem*, quam dari in quovis corpore humano manifeſta evincit experientia. ſtatus, in quibus ſenſus tam in- quam externi conſtituti eſſe noſcuntur tempore actionis, et perceptionis, ſunt *vigilia*, et *ſomnus*.

ſommus. Organum quoque, quod omnium ſenſuum internorum ſedes ſit, a RRbus unanimiter dicitur eſſe *calloſa cerebri ſubſtantia*.

CIII. In eadem quoque cerebri parte mentis humanæ ſedem figimus : ut adeo opus haud ſit, ad definitivam per totum corpus diffuſionem, recurrere.

Corpus itaque humanum tam nobili organorum apparatu inſtructum unitam ſibi habet formam informantem ſeu animam ; ita quidem ut *unio*, quæ inter utrumque datur, ſit vera et proprie dicta unio conſtans ex complexo mutuæ exigentiæ , proportionis , coexſiſtentiæ cum impedimentorum negatione. qua poſita unione facile eruitur contra Moniſtas ſeu ideales, ſeu materiales:

CIV. Dari in nobis verum aliquod commercium corpus inter, et animam.

Huic tamen explicando nec *ſyſtema cauſſarum occaſionalium* , nec *harmoniæ præſtabilitæ* par eſt. Imo quamvis hypotheſis Cl. P. Tournemine perquam ingenioſa eſt, verique ſpeciem præ ſe fert : attamen præplacet *ſyſtema*, quod vocant, *influxus phyſici* ſaltem quoad ſubſtantiam. ut adeo

CV. Anima agat in corpus; et viciſſim corpus in animam, licet modus, quo utrumque contingit, nos lateat.

Anthropologiæ ſubiungi poſſunt geminæ diſſertationes de *corpore brutorum* ſeu perfectorum, ſeu imperfectorum et de *organizatione plantarum*. In priori enumerari merentur ſpecies animalium volatilium, aquatilium, ter-

terreſtrium, bipedum, quadrupedum, inſectorum &c. omnia tamen breviter expediantur, cum fuſior pertractatio ad Hiſtoricos naturales potius reſpicit. In poſteriori vero, cum hodierno ævo inter omnes phyſicos conſtans opinio dominetur: *Plantas non vivere vita proprie tali.* ſuccincta deſcriptio fieri poteſt de Plantarum anatomia, origine, propagatione, nutritione, et augmento, diviſione, viribusque præcipuis, ac qualitatibus, ac tandem de earumdem morbis ac interitu. uberior diſcuſſio illis relinquenda eſt, qui Botaniçæ, aut Pythologiæ ex profeſſo inſudant. Ex utraque tamen hac diſſertatione ad denique concludendum reſtat:

CVI. Nec animalia, nec plantas cuiuscumque generis, et ſpeciei absque ſemine naſci.

Mare magnum profecto, et ſpatioſum nimis ingrederemur, ſi ſingulas phyſicæ partes pro materiarum multitudine, foecunditate, et gravitate explanare contenderemus. At cum temporis anguſtiæ plerumque docentem, et diſcentem obruant; hæc interea ſufficere poſſunt. uberiora autem deſiderantibus plura ſuppeditabunt Authores impreſſi, qui ſingulas Phyſicæ materias fuſiori calamo excolere aſſueverunt. Ex his ego quoque quamplurima, nempe quæ utilia et neceſſaria ſcitu iudicaveram, decerpere curavi: quos inter numero: Newtonum, Muſchenbroeckium, Boſcovich, de Lanis, Kircherum, Schottum, Iaslinsky, Biwald, Max. Mangold, Kräz, Oſterrieder, Euler, Fränklin, Gordon, Hauksbée, Winkler, aliosque, qui forſan tenebris meis lumen affundere poſſunt; ſi benevolo lectori ipſorum opera adire placuerit.

SYSTE-

SYSTEMATIS
PROBLEMATICI
PARS QUARTA

COMPLECTENS

ETHICAM.

SYSTEMATIS
NOSOLOGIAE
PARS QUARTA
MORBI
CUTANEI

Ethica eſt Scientia practica, quæ voluntatis actus conſiderat, quatenus illi honeſtatis legibus conformati ad æternam hominis felicitatem diriguntur. Ad hanc ſcientiam rite penetrandam inprimis conſiderari oportet naturam hominis moraliter conſiderati, tum in ordine ad mentem, ac ipſum corpus. ubi largior ſermo fieri poterit de paſſionibus, affectibus, et habitibus moribus, vitiis, eorumque characteribus iuxta cuiusvis hominis temperamentum.

Inde transgredi licet ad varia officia, quibus erga DEUM, proximum, ac nosmetipſos obligamur. Ubi Magiſtris pronum erit, eamdem doctrinam ad ſtatum religioſum ſobrie applicare. Diſcuſſio tamen de actibus humanis aut omnino transmittenda, vel non niſi breviter perſtringenda eſt: cum in theologia morali fuſius de iisdem agatur.

Ab actibus humanis ad eorum finem divertendum eſt. ubi inprimis notiones *boni* et *mali* explanentur, et tandem de *ſummo Bono* ſermo inſtituatur, et tandem concludatur:

CVII. Finem hominis non in beatitudine ſolum naturali, ſed ſupernaturali repoſitum eſſe.

Cumque finis iſte ſolus DEUS ſit, dignus utique erit omni amore, obſequio, ac ſervitute: quæ peculia-

ris

ris ratio DEUM colendi *Religio* nuncupatur. Et hæc vel *naturalis*, vel *revelata* eſt.

CVIII. In præſenti tamen rerum ſtatu divinæ providentiæ admodum conſentaneum eſt, præter religionem naturalem, revelatam quoque dari.

CIX. Prætenſa tamen religionis Avtonomia, quam multis conatibus inducere laborant noſtrorum temporum Statiſtæ, nulla ratione ſuſtinenda eſt.

CX. Sola igitur religio revelata Chriſtiano-Catholica firmiter tenenda, et ſanguine propugnanda eſt.

Media, quæ nos in conſecutione finis ultimi adiuvare poſſunt, præcipua ſunt *Leges*, quæ conſiderari poſſunt velut *regula honeſtatis* actuum noſtrorum ad æternam beatitatem conducentium; et tandem *ſui ipſius cognitio.* qua adepta continuo verum emendationis conſilium arripiendum eſt, ut declinare a vitiis diſcamus, nosque exercitio virtutum pro viribus addicemus. atque ideo continuo oportet nos ad luctam adverſus vitia, malasque propenſiones paratos eſſe.

Alia, quæ fuſius alii in præſentiarum pertractanda ſuſcipiunt, commode præmitti poſſunt aut tempore tyrocinii Religioſi, vel potius in Theologia morali, ac iurisprudentiæ ſacræ curriculo ſuppleri poſſunt. Hæc tamen

men dicta tanquam Elementa Ethicæ ſufficient: ulteriora ſuppeditabunt Heineccius, Corſinus, Pourchotius, Du Hamel, P. Sympertus Schwarzhuber, P. Otto Aicher, pluresque alii. Mihi interea ſit ſatis, et utilitati, et brevitati, et levitati docentium et diſcentium in aſceteriis monaſticis conſuluiſſe. quod

Si qua meo fuerint, ut erunt vitioſa libello,
excuſata ſuo tempore Lector habe (*)!

Nemo enim vitiis ſine naſcitur. merebitur itaque audacia veniam, ſi exigua hæc opella offendat Virorum Eruditorum oculos: volui enim utilis eſſe. in magnis autem voluiſſe ſat eſt.

(*) Ovid. l. IV. Triſt. eleg. I.

Ut In Omnibus Glorificetur
DEUS.

* *
* *

Ohe! iam ſatis eſt, ohe libelle!
iam pervenimus usque ad umbilicos.
Tu procedere adhuc, et ire quæris,
nec ſumma potes in ſcheda teneri?
ſic tanquam tibi res peracta non ſit,
quæ prima quoque pagina peracta eſt?
Ohe iam ſatis eſt, ohe libelle!

MART. *Epig. l. IV. n.* 89.

* *
*

RATISBONAE, FORMIS WEISSIANIS.

Menda.			Emenda.
pag.	lin.		
22	16	reſtinquant	reſtinguant
23	12	*ſibi*	*tibi*
27	12	primam	primum
33	24	patentiſſima cauſſa matrix	potentiſſima cauſſa motrix
ibid.	30	protenus	protinus
34	13	abruere	obruere
35	2	via	vias
38	24	innotum	innatum
43	31	unquem	unguem
51	2	profitemur, incongruos	profitemur, maieſtati incongruos
63	14	affectui	effectui
ibid.	28	quo	qua
68	14	ſuſcipit	ſuſcipiat
71	29	reducere	deducere
72	16	cetibus	coetibus
76	32	eo modo	ea modo
79	10	methodus iſtius	methodi iſtius
80	3	Præmicondi	Promicondi
84	19	illum	illud
88	12	quam	quem
91	14	ſuapte	ſuopte
95	10	curioſe	curioſæ
102	8	Si ſub hac definitione	Sub hac definitione
108	13	quædam Characteres	quidam Characteres
ibid.	15	hæ autem	hi autem
ibid.	16	ſumtæ	ſumti
ibid.	17	quarum	quorum
109	22	ſubtilitatis	ſubtilitates

119	25	niſi inanibus	niſi in inanibus
142	21	indicitur	inducitur
148	24	textum	textura
155	7	ſpecificæ adverti-mus	ſpecificæ rationem advertimus
160	21	Galilæus	*addatur* &c.
162	21	incurrenter	incurrentes
165	2	attenſione	attentione
ibid.	ib.	variis	varius

Reliqua menda tam in vocabulis, quam interpunctionibus occurrentia benevola Lectoris diſcretio emendare poterit; quæ forſan ipſusmet, ob temporis inopiam emendaturus, ſi licuiſſet, eram.

BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Wurzer, Balduin

Balduini Wurzer Philosophia regularis sive systema problematicum de philosophia in asceteriis regularibus tradenda cui insertae sunt positiones ex universa philosophia

Ratisbonae 1769

Bamberg, Staatsbibliothek -- Ph.o.980
urn:nbn:de:bvb:12-bsb11761380-9
VD18 12435627-001